


DE ORDINATIONE
EPISCOPI, PRESBYTERORUM ET DIACONORUM



PONTIFICALE ROMANUM

EX DECRETO SACROSANCTI ŒCUMENICI
CONCILII VATICANI II RENOVATUM
AUCTORITATE PAULI PP. VI EDITUM
IOANNIS PAULI PP. II CURA RECOGNITUM

DE ORDINATIONE
EPISCOPI, PRESBYTERORUM
ET DIACONORUM

EDITIO TYPICA ALTERA



TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS
MCMXC

Tel. 06.698.81032 - Fax 06.698.84716

ISBN 978-88-209-8525-7

www.vatican.va

www.libreriaeditricevaticana.com



CONGREGATIO DE CULTU DIVINO
ET DISCIPLINA SACRAMENTORUM

Prot. CD 145/89

DECRETUM

Ritus Ordinationum, quibus Christi ministri et dispensatores mysteriorum Dei in Ecclesia constituuntur, iuxta normas Concilii Vaticani II (cf. *SC*, 76) recogniti, anno 1968 in prima editione typica promulgati sunt sub titulo *De Ordinatione Diaconi, Presbyteri et Episcopi.*

Nunc vero, attenta experientia, quæ e liturgica oritur instauratione, opportunum visum est alteram parare editionem typicam, quæ relatione habita ad priorem sequentia præbet elementa peculiaria:

1. Hæc editio ditata est *Prænotandis,* sicut ceteri libri liturgici, ut exponatur doctrina de sacramento et structura celebrationis clarius eluceat.

2. Dispositio libri immutata est, ita ut initium sumendo ab Episcopo, qui plenitudinem sacri Ordinis habet, melius intellegatur quomodo presbyteri eius sint cooperatores et diaconi ad eius ministerium ordinentur.

3. In Prece Ordinationis sive presbyterorum sive diaconorum, verbis quæ ad naturam rei pertinent et ideo ad valorem actus exiguntur iisdem manentibus, nonnullæ mutatæ

sunt locutiones, quædam sententiæ adiunctæ e Novo Testamento haustæ, ita ut ipsa Prex electis et christifidelibus ditiorem presbyteratus et diaconatus præbeat notionem, in quantum a Christo sacerdote profluunt.

4. Ordinandi presbyteri modo magis explicito interrogantur de ministerio reconciliationis exercendo et de Eucharistia celebranda.

5. Ritus de sacro cælibatu amplectendo, a Sacra Congregatione pro Cultu Divino apparatus, ad normam Litterarum Apostolicarum *Ad pascendum,* quæ a Paulo PP. VI fel. rec. anno 1972 datæ sunt, nunc inseritur in Ordinationem diaconorum. De speciali autem mandato Summi Pontificis IOANNIS PAULI PP. II, disciplina mutata est ita ut etiam electi, qui in Instituto religioso vota perpetua emiserunt, posthac teneantur in ipsa Ordinatione diaconorum, derogato præscripto canonis 1037 Codicis Iuris Canonici, sacrum cælibatum amplecti tamquam peculiare propositum Ordinationi de iure coniunctum.

6. Item sodales Institutorum vitæ consecratæ in Ordinatione ad diaconatum et presbyteratum posthac interrogandi erunt etiam de reverentia et obœdientia erga Episcopum diœcesanum ad unitatem fovendam omnium clericorum in unaquaque Ecclesia.

7. Ad modum Appendicis additur Ritus pro admissione inter candidatos ad diaconatum et presbyteratum, paucis tantummodo mutatis.

Editionem alteram Pontificalis Romani *De Ordinatione Episcopi, presbyterorum et diaconorum* Summus Pontifex IOANNES PAULUS PP. II auctoritate sua approbavit et Congregatio de Cultu Divino et Disciplina Sacramentorum nunc promulgat et typicam esse declarat.

Conferentiis Episcoporum curæ erit textus, ritus et normas, quæ in hac editione inveniuntur, in praxim et in editiones linguis vernaculis apparandas inducere.

Iidem ritus ac textus, lingua latina exarati, statim ac prodierint erunt adhibendi; linguis autem vernaculis, cum interpretationes a Conferentiis Episcoporum approbatæ ab Apostolica Sede sint recognitæ, a die quem ipsæ Conferentiæ statuerint.

Contrariis quibuslibet minime obstantibus.

Ex ædibus Congregationis de Cultu Divino et Disciplina Sacramentorum, die 29 Iunii 1989, in Sollemnitate Sanctorum Petri et Pauli, Apostolorum.

EDUARDUS Card. MARTÍNEZ
Præfectus

✠ LUDOVICUS KADA
Archiep. tit. Thibicen.
a Secretis

SACRA CONGREGATIO RITUUM

Prot. n. R. 19/967

DECRETUM

Per Constitutionem Apostolicam *Pontificalis Romani recognitio,* die 18 mensis Iunii anno 1968, Summus Pontifex Paulus VI novum ritum pro collatione sacrorum Ordinum Diaconatus, Presbyteratus et Episcopatus, a Consilio ad exsequendam Constitutionem de S. Liturgia, peritis adhibitis et Episcopis diversarum orbis regionum consultis, recognitum, approbavit, ut posthac, pro ritu in Pontificali Romano exstante, usurpetur in his Ordinibus conferendis.

Pars igitur Pontificalis Romani, novos hos ritus pro collatione sacrorum Ordinum Diaconatus, Presbyteratus et Episcopatus continens, præsenti Decreto ab hac Sacra Rituum Congregatione, vigore facultatum sibi a Summo Pontifice PAULO PP. VI tributarum, evulgatur et uti typica declaratur.


Statuitur insuper ut, usque ad diem 6 mensis Aprilis proximi anni 1969, hoc est ad Dominicam Resurrectionis D.N.I.C., aut hi novi ritus, aut ii qui nunc in Pontificali Romano sunt, usurpari ad arbitrium possint; ab eo autem die hi novi dumtaxat ritus adhibeantur.

Contrariis quibuslibet minime obstantibus.

Romæ, die 15 Augusti 1968, in festo Assumptionis B. Mariæ Virginis.

BENNO Card. GUT
Præfectus S. Congr. Rituum
et "Consilii" Præses

✠ FERDINANDUS ANTONELLI
Archiep. tit. Idicrensis
S.C.R. a Secretis



CONSTITUTIO APOSTOLICA

QUA NOVI RITUS APPROBANTUR AD ORDINATIONEM DIACONI, PRESBYTERI ET EPISCOPI

PAULUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM

PONTIFICALIS ROMANI RECOGNITIO non tantum generali modo a Concilio Œcumenico Vaticano II præscribitur,[1] sed etiam peculiaribus regitur normis, quibus eadem Sacra Synodus ritus Ordinationum, « sive quoad cæremonias sive quoad textus »,[2] immutari iussit.

Sed ex Ordinationis ritibus illi imprimis considerandi sunt, quibus per Sacramentum Ordinis, vario gradu collatum, sacra Hierarchia constituitur: « sic ministerium ecclesiasticum divinitus institutum diversis ordinibus exercetur ab illis qui iam ab antiquo Episcopi, Presbyteri, Diaconi vocantur ».[3]

In recognitione autem ritus Ordinationum sacrarum, præter principia generalia, quibus integra instauratio Liturgiæ,

[1] Conc. Vat. II, Const. de Sacra Liturgia, *Sacrosanctum Concilium*, n. 25.
[2] *Ibid.*, n. 76.
[3] Conc. Vat. II, Const. dogm. de Ecclesia, *Lumen gentium*, n. 28.

iuxta præscripta Concilii Vaticani II, regi debet, summopere attendendum est ad præclaram illam doctrinam de natura et effectibus Sacramenti Ordinis, quæ in Constitutione de Ecclesia ab eodem Concilio pronuntiata est; quæ sane doctrina ipsa Liturgia, modo sibi proprio, exprimenda est, nam « textus et ritus ita ordinari oportet ut sancta, quæ significant, clarius exprimant, eaque populus christianus, in quantum fieri potest, facile percipere atque plena, actuosa et communitatis propria celebratione participare possit ».[4]

Iamvero eadem sancta Synodus docet: « Episcopali consecratione plenitudinem conferri Sacramenti Ordinis, quæ nimirum et liturgica Ecclesiæ consuetudine et voce sanctorum Patrum summum sacerdotium, sacri ministerii summa nuncupatur. Episcopalis autem consecratio, cum munere sanctificandi, munera quoque confert docendi et regendi, quæ tamen natura sua nonnisi in hierarchica communione cum Collegii capite et membris exerceri possunt. Ex traditione enim, quæ præsertim liturgicis ritibus et Ecclesiæ tum Orientis tum Occidentis usu declaratur, perspicuum est manuum impositione et verbis consecrationis gratiam Spiritus Sancti ita conferri et sacrum characterem ita imprimi, ut Episcopi, eminenti ac adspectabili modo, ipsius Christi Magistri, Pastoris et Pontificis partes sustineant et in Eius persona agant ».[5]

Quibus verbis addenda sunt plura et præclara doctrinæ capita de Episcoporum apostolica successione necnon de eorum muneribus et officiis, quæ, etsi iam in Ordine Consecrationis episcopalis contineantur, meliore tamen et accuratiore modo exprimenda videntur. Quod ut rectius obtineretur, opportunum visum est e fontibus antiquis arcessere precationem consecratoriam quæ in ea invenitur, quæ vocatur « Traditio Apostolica Hippolyti Romani », sæculo tertio

[4] Conc. Vat. II, Const. de Sacra Liturgia, *Sacrosanctum Concilium,* n. 21.
[5] Conc. Vat. II, Const. dogm. de Ecclesia, *Lumen gentium,* n. 21.

ineunte scripta, quæque, magna ex parte, in liturgia Ordinationis Coptorum et Syrorum occidentalium adhuc servatur. Ita fit ut in ipso Ordinationis actu testimonium perhibeatur de concordia traditionis cum orientalis tum occidentalis, quoad munus apostolicum Episcoporum.

Quod vero ad Presbyteros attinet, ex Actis Concilii Vaticani secundi hæc præsertim recolenda sunt: « Presbyteri, quamvis pontificatus apicem non habeant et in exercenda sua potestate ab Episcopis pendeant, cum eis tamen sacerdotali honore coniuncti sunt et vi sacramenti Ordinis, ad imaginem Christi, summi atque æterni Sacerdotis (cf. Hebr 5, 1-10; 7, 24; 9, 11-28), ad Evangelium prædicandum, fidelesque pascendos, et ad divinum cultum celebrandum consecrantur, ut veri sacerdotes Novi Testamenti ».[6] Atque alio loco hæc leguntur: « Presbyteri enim, sacra Ordinatione atque missione, quam ab Episcopis recipiunt, promoventur ad inserviendum Christo Magistro, Sacerdoti et Regi, cuius participant ministerium, quo Ecclesia in populum Dei, Corpus Christi et Templum Spiritus Sancti, hic in terris, indesinenter ædificatur ».[7] In Ordinatione autem presbyterali, prouti in Pontificali Romano habebatur, missio et gratia Presbyteri tamquam adiutoris Ordinis episcopalis clarissime describebatur. Attamen necessarium visum est totum ritum, qui antea in plures partes distribuebatur, ad maiorem unitatem redigere, et mediam Ordinationis partem, hoc est impositionem manuum et precationem consecratoriam in vividiore luce ponere.

Quod tandem ad Diaconos spectat, præter ea quæ in Litteris Apostolicis *Sacrum Diaconatus Ordinem,* Motu proprio a Nobis die XVIII mensis Iunii anno MCMLXVII editis, continentur, hæc præcipue commemoranda sunt verba: « In

[6] *Ibid.,* n. 28.
[7] Conc. Vat. II, Decr. de Presbyterorum ministerio et vita, *Presbyterorum Ordinis,* n. 1.

gradu inferiori Hierarchiæ sistunt Diaconi, quibus "non ad sacerdotium, sed ad ministerium" (*Constitutiones Ecclesiæ Ægyptiacæ,* III, 2), manus imponuntur. Gratia etenim sacramentali roborati, in diaconia liturgiæ, verbi et caritatis Populo Dei, in communione cum Episcopo eiusque presbyterio, inserviunt ».[8] In Ordinatione autem diaconali pauca quædam mutanda erant, ratione habita sive præceptionum recens latarum de diaconatu tamquam gradu proprio et permanenti Hierarchiæ in Ecclesia latina, sive maioris simplicitatis et claritatis rituum.

Porro ex ceteris Supremi Magisterii documentis, ad Sacros Ordines pertinentibus, peculiari mentione, dignam existimamus Constitutionem Apostolicam *Sacramentum Ordinis,* a Decessore Nostro fel. rec. Pio XII, die XXX mensis Novembris anno MCMXLVII, editam, qua declaratur « Sacrorum Ordinum Diaconatus, Presbyteratus materiam eamque unam esse manuum impositionem: formam vero itemque unam esse verba applicationem huius materiæ determinantia, quibus univoce significantur effectus sacramentales — scilicet potestas Ordinis et gratia Spiritus Sancti — quæque ab Ecclesia qua talia accipiuntur et usurpantur ».[9] Quibus præmissis, idem documentum decernit quænam manuum impositio et quænam verba in uniuscuiusque Ordinis collatione materiam et formam constituant.

Cum vero in recognitione ritus opus fuerit quædam vel addi, vel deleri, vel mutari, sive ut textus ad fidem textuum antiquiorum restituerentur, sive ut sententiæ clariores redderentur, sive ut effectus sacramenti melius exponerentur, necesse esse putamus, ad omnem controversiam tollendam et ad conscientiarum anxietates præcavendas, declarare quænam in ritu recognito ad naturam rei pertinere dicenda sint. De materia ergo et forma in uniuscuiusque Ordinis colla-

[8] Conc. Vat. II, Const. dogm. de Ecclesia, *Lumen gentium,* n. 29.
[9] *A.A.S.* 40 (1948) 6.

tione, suprema Nostra Apostolica auctoritate, quæ sequuntur decernimus et constituimus.

In Ordinatione Diaconorum materia est Episcopi manuum impositio, quæ silentio fit super singulos ordinandos ante precationem consecratoriam; forma autem constat verbis eiusdem precationis consecratoriæ, quorum hæc ad naturam rei pertinent, atque adeo ut actus valeat exiguntur: « Emitte in eos, Domine, quæsumus, Spiritum Sanctum, quo in opus ministerii fideliter exsequendi munere septiformis tuæ gratiæ roborentur ».

In Ordinatione Presbyterorum, item materia est Episcopi manuum impositio, quæ silentio super singulos ordinandos fit ante precationem consecratoriam; forma vero constat verbis eiusdem precationis consecratoriæ, quorum hæc ad naturam rei pertinent, atque adeo ut actus valeat exiguntur: « Da, quæsumus, omnipotens Pater, in hos famulos tuos Presbyterii dignitatem; innova in visceribus eorum Spiritum sanctitatis, acceptum a te, Deus, secundi meriti munus obtineant, censuramque morum exemplo suæ conversationis insinuent ».

Denique in Ordinatione Episcopi, materia est impositio manuum quæ ab Episcopis consecrantibus, vel saltem a Consecratore principali, fit silentio super caput Electi ante precationem consecratoriam; forma autem constat verbis eiusdem precationis consecratoriæ, quorum hæc ad naturam rei pertinent, atque adeo ut actus valeat exiguntur. « Et nunc effunde super hunc electum eam virtutem, quæ a te est, Spiritum principalem, quem dedisti dilecto Filio tuo Iesu Christo, quem ipse donavit sanctis Apostolis, qui constituerunt Ecclesiam per singula loca, ut sanctuarium tuum, in gloriam et laudem indeficientem nominis tui ».

Hunc igitur ritum pro collatione Ordinum sacrorum Diaconatus, Presbyteratus et Episcopatus, a Consilio ad exsequendam Constitutionem de s. Liturgia, « peritis adhibitis

et Episcopis consultis ex diversis orbis regionibus »,[10] recognitum, Nosmetipsi Apostolica Nostra auctoritate approbamus, ut posthac, pro ritu in Pontificali Romano adhuc exstante, adhibeatur in his Ordinibus conferendis.

Nostra hæc statuta et præscripta nunc et in posterum firma et efficacia esse et fore volumus, non obstantibus, quatenus opus sit, Constitutionibus et Ordinationibus Apostolicis a Nostris Decessoribus editis, ceterisque præscriptionibus etiam peculiari mentione et derogatione dignis.

Datum Romæ, apud Sanctum Petrum, die XVIII mensis Iunii, anno MCMLXVIII, Pontificatus Nostri quinto.

PAULUS PP. VI

[10] Cf. Conc. Vat. II, Const. de Sacra Liturgia, *Sacrosanctum Concilium*, n. 25.

PRÆNOTANDA GENERALIA

I

De sacra Ordinatione

1. Per sacram Ordinationem Christi nomine instituuntur et donum Spiritus Sancti accipiunt quidam christifideles ad Ecclesiam verbo et gratia Dei pascendam.[1]

2. Etenim « Christus, quem Pater sanctificavit et misit in mundum (Io 10, 36), consecrationis missionisque suæ per Apostolos suos, eorum successores, videlicet Episcopos, participes effecit, qui munus ministerii sui, vario gradu, variis subiectis in Ecclesia legitime tradiderunt. Sic ministerium ecclesiasticum divinitus institutum diversis ordinibus exercetur ab illis qui iam ab antiquo Episcopi, Presbyteri, Diaconi vocantur ».[2]

3. Episcopi, « plenitudine sacramenti Ordinis insigniti »,[3] per Spiritum Sanctum qui in Ordinatione datus est eis, « veri et authentici effecti sunt fidei magistri, pontifices et pastores »,[4] et ut tales gregi Domini in persona Christi capitis præsident.

4. « Presbyteri, quamvis pontificatus apicem non habeant et in exercenda sua potestate ab Episcopis pendeant, cum eis tamen sacerdotali honore coniuncti sunt et, vi sacramenti Ordinis, ad imaginem Christi, summi atque æterni Sacerdotis, ad Evangelium prædicandum fidelesque pascendos et ad divinum cultum celebrandum consecrantur ut veri Sacerdotes Novi Testamenti ».[5]

5. Diaconis « non ad sacerdotium sed ad ministerium sacrum manus imponuntur. Gratia etenim sacramentali roborati, in diaconia liturgiæ, verbi et caritatis populo Dei, in communione cum Episcopo eiusque presbyterio, inserviunt ».[6]

[1] Cf. Conc. Vat. II, Const. dogm. de Ecclesia, *Lumen gentium*, n. 11.
[2] *Ibid.*, n. 28.
[3] *Ibid.*, n. 26.
[4] Conc. Vat. II, Decr. de Pastorali episcoporum munere in Ecclesia, *Christus Dominus*, n. 2.
[5] Conc. Vat. II, Const. dogm. de Ecclesia, *Lumen gentium*, n. 28.
[6] *Ibid.*, n. 29.

6. Sacra Ordinatio confertur per manuum impositionem Episcopi et Precem qua ab eo benedicitur Deo et invocatur donum Spiritus Sancti ad ministerium implendum.[7] Ex traditione enim, quæ præsertim liturgicis ritibus et Ecclesiæ tum Orientis tum Occidentis usu declaratur, perspicuum est manuum impositione et Prece Ordinationis donum Spiritus Sancti conferri et sacrum characterem ita imprimi, ut Episcopi, presbyteri et diaconi, suo quisque modo, Christo conformantur.[8]

II

De structura celebrationis

7. Manuum impositio et Prex Ordinationis sunt essentiale elementum cuiusvis Ordinationis; in quo oratio ipsa benedictionis et invocationis significationem determinat impositionis manuum. Itaque hi ritus cum sint centrum Ordinationis, per institutionem catecheticam inculcentur et per ipsam celebrationem in lucem ponantur.

Dum manus imponuntur, fideles silentio supplicant, precem autem participant eam auscultantes et per acclamationem finalem confirmantes ac concludentes.

8. Magni momenti intra Ordinationis celebrationem sunt ritus præparatorii, nempe præsentatio electi vel electio candidatorum, homilia, promissio electorum et supplicatio litanica, et præsertim ritus explanativi, diversi pro diversitate Ordinis, quibus indicantur munera per manuum impositionem et invocationem Spiritus Sancti collata.

9. Ordinatio celebranda est intra Missarum sollemnia, quæ fideles præsertim die dominico actuose participant « ad unum altare cui præest Episcopus a suo presbyterio et ministris circumdatus ».[9]

Hoc modo simul copulantur præcipua Ecclesiæ manifestatio et sacrorum Ordinum dispensatio una cum Sacrificio eucharistico, totius christianæ vitæ fonte et culmine.[10]

[7] Cf. Pius XII, Const. Apost. *Sacramentum Ordinis*: *A.A.S.* 40 (1948) 5-7; Paulus VI, Const. Apost. *Pontificalis Romani recognitio*; CIC can. 1009 § 2.

[8] Cf. Paulus VI, Const. Apost. *Pontificalis Romani recognitio.*

[9] Conc. Vat. II, Const. de Sacra Liturgia, *Sacrosanctum Concilium*, n. 41.

[10] Cf. Conc. Vat. II, Const. dogm. de Ecclesia, *Lumen gentium*, n. 11.

10. Intima coniunctio ipsius Ordinationis cum celebratione Missæ opportune manifestatur non tantum per insertionem ritus et per formulas proprias in Prece eucharistica et in benedictione finali sed etiam, servatis servandis, per lectiones seligendas et per usum peculiaris Missæ ritualis pro diversitate Ordinis collati.

III

De aptationibus ad varias regiones et adiuncta

11. Conferentiis Episcoporum competit, ritus Ordinationum Episcopi, presbyterorum et diaconorum accommodare singularum regionum necessitatibus, ut, actis ab Apostolica Sede recognitis, in regionibus ad quas pertinet, adhibeatur. Qua in re Conferentiæ Episcoporum, attentis locorum et rerum adiunctis necnon ingenio et traditionibus populorum, possunt:

a) formam definire, qua communitas, iuxta morem regionis, electioni candidatorum assentit (in Ordinatione Episcopi, nn. 38 et 74; in Ordinatione presbyterorum, nn. 122. 150. 266. 307; in Ordinatione diaconorum, nn. 198. 226. 264. 305);

b) statuere ut interrogationibus ante Ordinationem in ritibus prævisis (in Ordinatione Episcopi, nn. 40 et 76; in Ordinatione presbyterorum, nn. 124. 152. 270. 311; in Ordinatione diaconorum, nn. 200. 228. 268. 309) aliæ, pro opportunitate, addantur;

c) definire formam, qua electi ad diaconatum et presbyteratum reverentiam et obœdientiam promittunt (nn. 125. 153. 201. 228. 269. 271. 310. 312);

d) statuere ut propositum assumendi obligationem cælibatus (in Ordinatione diaconorum, nn. 200. 228. 268. 309), præter responsionem ad quæstionem respectivam, forma aliqua externa manifestetur;

e) approbare quosdam cantus peragendos loco ipsorum qui in hoc libro indicantur;

f) proponere Apostolicæ Sedi alias aptationes rituum, de ipsius consensu introducendas. Attamen: manuum impositio omitti nequit; Prex Ordinationis nec reduci nec substitui potest cum aliis textibus alternativis. Structura generalis ritus et indoles propria uniuscuiusque elementi serventur.

CAPUT I

DE ORDINATIONE EPISCOPI

PRÆNOTANDA

I

De Ordinationis momento

12. Vi episcopalis Ordinationis et hierarchica communione cum Collegii Capite atque membris, aliquis membrum Corporis episcopalis constituitur.

Ordo autem Episcoporum collegio Apostolorum in magisterio et regimine pastorali succedit, immo in eo corpus apostolicum continuo perseverat.[11] Episcopi ergo, « utpote Apostolorum successores, a Domino, cui omnis potestas in cælo et in terra data est, missionem accipiunt docendi omnes gentes et prædicandi Evangelium omni creaturæ, ut homines universi, per fidem, baptismum et adimpletionem mandatorum salutem consequantur (cf. Mt 28, 18) »; [12] Episcopale Collegium, sub uno capite Romano Pontifice, Petri successore, collectum, unitatem, varietatem et universalitatem gregis Christi exprimit.[13]

13. Singuli autem Episcopi, qui particularibus Ecclesiis præficiuntur, regimen suum pastorale super portionem Populi Dei sibi commissam exercent; [14] visibile principium et fundamentum sunt unitatis in istis Ecclesiis particularibus, ad imaginem Ecclesiæ universalis formatis, in quibus et ex quibus Ecclesia catholica exsistit.[15]

14. Inter præcipua Episcoporum munera eminet prædicatio Evangelii: Episcopi enim sunt fidei præcones, qui novos discipulos ad Christum adducunt et doctores authentici qui populo sibi commisso

[11] Cf. Conc. Vat. II, Const. dogm. de Ecclesia, *Lumen gentium,* n. 22.
[12] *Ibid.,* n. 24.
[13] Cf. *ibid.,* n. 22.
[14] Cf. *ibid.,* n. 23.
[15] Cf. *ibid.*

fidem credendam et moribus applicandam prædicant.[16] Sicut vero per ministerium verbi virtutem Dei credentibus in salutem communicant (cf. Rom 1, 16), ita per sacramenta fideles sanctificant: ipsi regunt collationem baptismi; sunt ministri originarii confirmationis, dispensatores sacrorum Ordinum, moderatores disciplinæ pænitentialis. Plenitudine sacramenti Ordinis insigniti, sunt « œconomi gratiæ supremi sacerdotii » præsertim in Eucharistia, quam ipsi offerunt vel offerri curant. Omnis autem legitima Eucharistiæ celebratio ab eis dirigitur: in quavis enim altaris communitate, sub Episcopi sacro ministerio exhibetur symbolum caritatis et unitatis Corporis mystici.[17]

II

De officiis et ministeriis

15. Officium est omnium fidelium orare pro Episcopo suo eligendo et electo. Hoc fiat præsertim in oratione universali Missæ et in precibus Vesperarum.

Cum Episcopus pro tota Ecclesia locali constituatur, ad eius Ordinationem clerici aliique fideles invitandi sunt, ut quam maxima frequentia celebrationi intersint.

16. Iuxta usum antiquitus traditum Episcopus ordinans principalis duos saltem Episcopos in Ordinatione celebranda sibi adiungat. Valde autem convenit ut omnes Episcopi præsentes in novo electo ad summi sacerdotii ministerium elevando partem habeant,[18] cum manus super eum imponunt, statutam partem Precis Ordinationis proferunt eumque osculo salutant.

Hoc modo in ipsa Ordinatione uniuscuiusque Episcopi indoles collegialis Ordinis episcopalis significatur.

De more Metropolita ordinet Episcopum suffraganeum, Episcopus autem loci Episcopum auxiliarem.

Episcopus ordinans principalis Precem Ordinationis profert, qua Deo benedicitur et Spiritus Sanctus invocatur.

17. Duo presbyteri diœcesis, pro qua electus ordinatur, ei in celebratione Ordinationis assistunt: nomine Ecclesiæ localis unus ex eis ab Episcopo ordinante principali petit, ut electo Ordinationem con-

[16] Cf. *ibid.*, n. 25.
[17] Cf. *ibid.*, n. 26.
[18] Cf. *ibid.*, n. 22.

ferat. Una cum Episcopo in hac celebratione Ordinato aliisque Episcopis hi duo presbyteri et, in quantum fieri potest, etiam alii presbyteri præsertim eiusdem diœcesis liturgiam eucharisticam concelebrant.

18. Duo diaconi librum Evangeliorum super caput electi tenent, dum Prex Ordinationis profertur.

III

De Ordinationis celebratione

19. Electus ante celebrationem Ordinationis, tempore opportuno, spiritalibus exercitiis vacet.

20. Convenit ut omnes communitates diœcesis, pro qua Episcopus ordinatur, ad celebrationem Ordinationis apto modo præparentur.

21. Episcopus, qui tamquam caput cuidam diœcesi præficitur, in ecclesia cathedrali ordinetur. Episcopi auxiliares, qui in servitium cuiusdam diœcesis ordinantur, etiam in ecclesia cathedrali vel alia ecclesia maioris momenti in diœcesi ordinentur.

22. Ordinatio Episcopi fiat cum fidelium quam maxima frequentia die dominico vel festo, præsertim festo Apostolorum, nisi rationes pastorales alium diem suadeant. Excludantur tamen Triduum paschale, Feria IV Cinerum, tota Hebdomada sancta et Commemoratio omnium fidelium defunctorum.

23. Ordinatio fit intra Missarum sollemnia ritu stationali celebrata, et quidem liturgia verbi absoluta, ante liturgiam eucharisticam.

Adhiberi potest Missa ritualis « In conferendis sacris Ordinibus », exceptis Sollemnitatibus, Dominicis Adventus, Quadragesimæ et Paschæ, diebus intra octavam Paschæ et festis Apostolorum. Occurrentibus his diebus dicitur Missa de die, cum suis lectionibus. Si tamen, aliis in diebus, Missa ritualis non dicitur, una ex lectionibus sumi potest ex iis quæ in Lectionario pro Missa rituali proponuntur.

Oratio universalis omittitur, quia litaniæ eius locum tenent.

24. Dicto Evangelio, Ecclesia localis per unum ex presbyteris suis ab Episcopo ordinante principali petit, ut electum ordinet. Electus coram Episcopis omnibusque fidelibus voluntatem exprimit se munus suum, iuxta mentem Christi atque Ecclesiæ in communione cum Ordine Episcoporum sub auctoritate successoris beati Petri Apostoli, exerciturum esse. In litaniis omnes gratiam Dei pro electo implorant.

25. Per impositionem manuum Episcoporum et Precem Ordinationis electo donum Spiritus Sancti pro munere Episcopi confertur. Hæc autem verba ad naturam rei pertinent, atque adeo ut actus valeat exiguntur: « Et nunc effúnde super hunc eléctum eam virtútem, quæ a te est, Spíritum principálem, quem dedísti diléсto Fílio tuo Iesu Christo, quem ipse donávit sanctis Apóstolis, qui constituérunt Ecclésiam per síngula loca ut sanctuárium tuum, in glóriam et laudem indeficiéntem nóminis tui ».

Episcopus ordinans principalis Precem Ordinationis nomine omnium Episcoporum præsentium profert; verba quæ ad naturam rei pertinent, ab omnibus Episcopis, qui una cum Episcopo ordinante principali manus electo imposuerunt, proferuntur. Hæc autem verba ita dicenda sunt, ut vox Episcopi ordinantis principalis clare audiatur, dum ceteri Episcopi ordinantes ea submissa voce proferant.

26. Per impositionem libri Evangeliorum super caput ordinandi, dum Prex Ordinationis profertur, necnon eiusdem traditionem in manus Ordinati in lucem ponitur fidelis prædicatio verbi Dei ut Episcopi munus præcipuum; per unctionem capitis peculiaris Episcopi participatio in sacerdotio Christi significatur; per traditionem anuli fides Episcopi erga sponsam Dei, Ecclesiam, per impositionem mitræ studium adipiscendæ sanctitatis, per traditionem autem baculi pastoralis eius munus regendi Ecclesiam sibi commissam indicantur.

Osculo, quod Ordinatus accipit ab Episcopo ordinante principali et ab omnibus Episcopis quasi sigillum ponitur ad eius acceptationem in Collegium Episcoporum.

27. Summe convenit, ut Episcopus intra fines propriæ diœcesis ordinatus concelebrationi in liturgia eucharistica præsideat. Si autem Ordinatio facta est in alia diœcesi, Episcopus ordinans principalis præsidet concelebrationi; hoc in casu, Episcopus modo ordinatus primum locum tenet inter ceteros concelebrantes.

IV

De iis, quæ sunt paranda

28. Præter ea, quæ ad Missæ stationalis celebrationem necessaria sunt, parentur:

a) Liber De Ordinatione;

b) libelli Precis Ordinationis pro Episcopis ordinantibus;

c) gremiale linteum;

d) sanctum chrisma;

e) ea quæ ad manuum lotionem necessaria sunt;

f) anulus, baculus pastoralis, mitra pro electo et, si casus fert, pallium. Hæc insignia, pallio excepto, benedictione prævia non indigent, cum in ipso ritu Ordinationis tradantur.

29. Præter cathedram Episcopi ordinantis principalis, sedes pro Episcopis ordinantibus, electo et presbyteris concelebrantibus parentur hoc modo:

a) In liturgia verbi Episcopus ordinans principalis sedet in cathedra, alii Episcopi ordinantes iuxta cathedram, hinc inde; electus vero inter presbyteros sibi assistentes, loco aptiore in presbyterio;

b) Ordinatio fiat de more ad cathedram; si autem propter participationem fidelium opus est, parentur sedes pro Episcopo ordinante principali aliisque Episcopis ordinantibus ante altare vel alio opportuniore loco; sedes autem pro electo et presbyteris ei assistentibus, sic parentur, ut actio liturgica a fidelibus bene conspici queat.

30. Episcopus ordinans principalis necnon Episcopi et presbyteri concelebrantes sacras vestes induunt quæ sibi respective ad Missæ celebrationem requiruntur.

Episcopus ordinans principalis convenienter sub casula induit dalmaticam.

Electus induit omnia paramenta sacerdotalia necnon crucem pectoralem et dalmaticam.

Episcopi autem ordinantes qui forte non concelebrent, sumunt albam, crucem pectoralem, stolam et, pro opportunitate, pluviale et mitram. Presbyteri electo assistentes, si forte non concelebrent, induunt pluviale super albam.

Vestes sint coloris Missæ quæ celebratur, secus coloris albi, vel vestes festivæ seu nobiliores adhibeantur.

RITUS ORDINATIONIS EPISCOPI

Ritus initiales et Liturgia verbi

31. Omnibus rite dispositis, ordinatur processio per ecclesiam ad altare modo consueto. Diaconum librum Evangeliorum, qui in Missa et Ordinatione adhibetur, deferentem et alios diaconos, si adsint, sequuntur presbyteri concelebrantes, deinde electus medius inter presbyteros sibi assistentes, postea Episcopi ordinantes ac denique Episcopus ordinans principalis et paulisper retro eum duo diaconi ei assistentes. Cum ad altare pervenerint, facta debita reverentia, omnes accedunt ad loca sibi assignata. Curandum est tamen ut distinctio inter Episcopos et presbyteros manifeste appareat etiam dispositione locorum.

Interim canitur antiphona ad introitum cum suo psalmo vel alius cantus aptus.

32. Ritus initiales et liturgia verbi peraguntur more consueto usque ad Evangelium inclusive.

33. Si vero Episcopus in sua ecclesia cathedrali ordinatur, post salutationem populi unus e diaconis vel ex presbyteris concelebrantibus Litteras apostolicas Collegio consultorum, præsente cancellario Curiæ qui rem in acta referat, ostendit ac deinde ad ambonem legit, quas omnes sedentes auscultant et in fine acclamant, dicentes: Deo grátias vel aliam acclamationem aptam.

In diœcesibus vero noviter erectis, clero ac populo in ecclesia cathedrali præsentibus earundem Litterarum communicatio fit, presbytero inter præsentes seniore acta referente.

34. Post lectionem Evangelii, diaconus librum Evangeliorum iterum super altare reverenter deponit, ubi remanet usquedum super caput Ordinati positum fuerit.

Ordinatio

35. Deinde incipit Ordinatio Episcopi. Omnibus stantibus, cani potest hymnus Veni, creátor Spíritus, vel alius hymnus huic respondens, iuxta locorum consuetudines.

36. Deinde Episcopus ordinans principalis aliique Episcopi ordinantes accedunt, si opus est, ad sedes pro Ordinatione paratas.

Præsentatio electi

37. Electus a presbyteris ipsi assistentibus adducitur ante Episcopum ordinantem principalem, cui reverentiam facit.

38. Unus e presbyteris assistentibus alloquitur Episcopum ordinantem principalem his verbis:

Reverendíssime Pater, póstulat Ecclésia N., ut presbýterum N. ad onus Episcopátus órdines.

Si vero agitur de Episcopo ordinando non residentiali:

Reverendíssime Pater, póstulat sancta Mater Ecclésia cathólica, ut presbýterum N. ad onus Episcopátus órdines.

Episcopus ordinans principalis illum interrogat, dicens:

Habétis mandátum Apostólicum?

Ille respondet:

Habémus.

Episcopus ordinans principalis:

Legátur.

Tunc legitur mandatum, omnibus sedentibus. Quo perlecto, omnes electioni Episcopi assentiunt, dicentes:

Deo grátias,

vel alio modo, iuxta Prænotanda generalia n. 11 statuto, electioni assentiunt.

Homilia

39. Tunc Episcopus ordinans principalis, omnibus sedentibus, homiliam habet, in qua, initium sumens e textu lectionum quæ in liturgia verbi lectæ sunt, clerum ac populum necnon electum de munere Episcopi alloquitur. De tali munere autem loqui potest his vel similibus verbis, aptando tamen textum, si ordinatur Episcopus non residentialis:

Dilectíssimi, sédulo atténdite, ad qualem in Ecclésia gradum frater noster sit provehéndus. Dóminus noster Iesus

Christus, a Patre missus, ut genus humánum redímeret, ipse in mundum duódecim misit Apóstolos qui, Spíritus Sancti virtúte repléti, Evangélium prædicárent et omnes gentes in unum ovíle congregántes, sanctificárent et gubernárent. Ut autem hoc munus usque ad finem sǽculi permanéret, Apóstoli sibi adiutóres elegérunt, quibus donum Spíritus Sancti a Christo accéptum per impositiónem mánuum tradidérunt, qua Ordinis sacraménti plenitúdo confértur. Sic a generatióne in generatiónem principális tradítio per successiónem Episcopórum contínuam serváta est et opus Salvatóris ad nostra usque témpora persevérat et crescit.

In Epíscopo a presbýteris suis circúmdato adest in médio vestri ipse Dóminus noster Iesus Christus, Póntifex factus in ætérnum. Ipse enim in ministério Epíscopi Evangélium prædicáre et credéntibus mystéria fídei ministráre non désinit. Ipse patérno Epíscopi múnere nova membra córpori suo addit et ággregat. Ipse Epíscopi sapiéntia et prudéntia vos in peregrinatióne terréna ad beatitúdinem perdúcit ætérnam.

Grato ígitur lætóque ánimo fratrem nostrum excípite, quem nos, Epíscopi, per impositiónem mánuum in collégium nostrum cooptámus. Illum honoráte ut minístrum Christi et dispensatórem mysteriórum Dei, cui testificátio Evangélii veritátis concréditur atque ministrátio Spíritus et iustítiæ. Mementóte verbórum Christi dicéntis Apóstolis: « Qui vos audit me audit, et qui vos spernit me spernit. Qui autem me spernit, spernit eum qui me misit ».

Tu autem, frater caríssime, eléctus a Dómino, cógita te ex homínibus esse assúmptum et pro homínibus constitútum in iis quæ sunt ad Deum. Episcopátus enim nomen est óperis, non honóris, et Epíscopum magis prodésse quam præésse opórtet. Nam qui maior est, secúndum Magístri præcéptum, sit ut minor, et qui præcéssor est, sicut ministrátor. Prǽdica opportúne, importúne, íncrepa in omni patiéntia et doctrína. In oratióne et sacrifícii oblatióne pro pópulo tibi commísso,

de plenitúdine sanctitátis Christi multifórmem grátiam abundánter stúdeas impetráre.

In Ecclésia tibi crédita, mysteriórum Christi dispensátor, moderátor et custos esto fidélis. Eléctus a Patre ad eius gubernándam famíliam, memor esto semper boni Pastóris, qui oves suas cognóscit et quem oves cognóscunt, et qui ánimam pónere pro óvibus suis non dubitávit.

Univérsos, quos Deus tibi commíttit, patérna atque fratérna dílige caritáte, imprímis presbýteros et diáconos, tuos in ministério Christi consórtes, sed et páuperes et débiles, peregrínos et ádvenas. Hortáre fidéles ut in ópere apostólico tecum labórent, eósque libénter audíre ne rénuas. De illis autem, qui nondum uni Christi ovíli sunt aggregáti, curam hábeas indeféssam, tamquam tibi in Dómino commendátis. In Ecclésia cathólica, caritátis vínculo adunáta, numquam obliviscáris te collégio Episcopórum esse coniúnctum, ita ut ómnium Ecclesiárum sollicitúdinem ferre non désinas et Ecclésiis auxílio egéntibus libénter subvénias. Atténde ígitur univérso gregi in quo Spíritus Sanctus te ponit régere Dei Ecclésiam, in nómine Patris, cuius in Ecclésia imáginem repræséntas, et in nómine Fílii eius Iesu Christi, cuius múnere Doctóris, Sacerdótis et Pastóris fungéris, et in nómine Spíritus Sancti, qui Ecclésiam Christi vivíficat et infirmitátem nostram sua virtúte confírmat.

Promissio electi

40. Post homiliam electus solus surgit et stat ante Episcopum ordinantem principalem, qui illum interrogat his verbis:

Antíqua sanctórum Patrum institútio præcipit, ut, qui Epíscopus ordinándus est, coram pópulo interrogétur de propósito fídei servándæ et múneris exsequéndi.

Vis ergo, frater caríssime, munus nobis ab Apóstolis créditum et tibi per impositiónem mánuum nostrárum tradéndum cum grátia Spíritus Sancti usque ad mortem explére?

Electus respondet:

Volo.

Episcopus ordinans principalis:

Vis Evangélium Christi fidéliter et indesinénter prædicáre?

Electus:

Volo.

Episcopus ordinans principalis:

Vis depósitum fídei, secúndum traditiónem inde ab Apóstolis in Ecclésia semper et ubíque servátam, purum et íntegrum custodíre?

Electus:

Volo.

Episcopus ordinans principalis:

Vis corpus Christi, Ecclésiam eius, ædificáre et in eius unitáte cum Ordine Episcopórum, sub auctoritáte successóris beáti Petri Apóstoli, permanére?

Electus:

Volo.

Episcopus ordinans principalis:

Vis beáti Petri Apóstoli successóri obœdiéntiam fidéliter exhibére?

Electus:

Volo.

Episcopus ordinans principalis:

Vis plebem Dei sanctam, cum comminístris tuis presbýteris et diáconis, ut pius pater, fovére et in viam salútis dirígere?

Electus:

Volo.

Episcopus ordinans principalis:

Vis paupéribus et peregrínis omnibúsque indigéntibus propter nomen Dómini affábilem et misericórdem te præbére?

Electus:

Volo.

Episcopus ordinans principalis:

Vis oves errántes ut bonus pastor requírere et ovíli domínico aggregáre?

Electus:

Volo.

Episcopus ordinans principalis:

Vis Deum omnipoténtem pro pópulo sancto indesinénter oráre et sine reprehensióne summi sacerdótii munus explére?

Electus:

Volo, Deo auxiliánte.

Episcopus ordinans principalis:


Qui cœpit in te opus bonum, Deus, ipse perfíciat.

Supplicatio litanica


41. Deinde Episcopi mitram deponunt et omnes surgunt. Episcopus ordinans principalis stans, manibus iunctis, versus ad populum dicit invitatorium:



Orémus, di- lectíssimi nobis, ut hu- ic e-lécto, u- ti- li-
(his el-éc-tis)




tá- ti Ecclé- si- æ próvi-dens, be-nígni- tas omnipoténtis De-



i grá- ti- æ su- æ trí-bu- at largi- tá-tem.

Orémus, dilectíssimi nobis,
ut huic elécto,
utilitáti Ecclésiæ próvidens,
benígnitas omnipoténtis Dei
grátiæ suæ tríbuat largitátem.

42. Tunc electus procumbit et canuntur litaniæ, omnibus respondentibus; quod diebus dominicis necnon tempore paschali fit omnibus stantibus, ceteris autem diebus flexis genibus. Quo in casu diaconus admonet:



Flectámus génu- a.

In litaniis addi possunt suis locis aliqua nomina Sanctorum, ex. gr. Patroni, Titularis ecclesiæ, Fundatoris, Patroni eius qui Ordinationem recipit, aut aliquæ invocationes magis aptæ singulis circumstantiis.

Sanctorum cognomina, inter parentheses posita, opportune omittuntur, quando litaniæ latina lingua canuntur.

Kýrie, eléison.
Kýrie, eléison.

Christe, eléison.
Christe, eléison.

Kýrie, eléison.
Kýrie, eléison.

Sancta María, Mater Dei, ora pro nobis.
Sancte Míchael, ora pro nobis.
Sancti Angeli Dei, oráte pro nobis.
Sancte Ioánnes Baptísta, ora pro nobis.
Sancte Ioseph, ora pro nobis.
Sancte Petre, ora pro nobis.
Sancte Paule, ora pro nobis.
Sancte Andréa, ora pro nobis.
Sancte Iacóbe, ora pro nobis.
Sancte Ioánnes, ora pro nobis.
Sancte Thoma, ora pro nobis.
Sancte Iacóbe, ora pro nobis.
Sancte Philíppe, ora pro nobis.
Sancte Bartholomǽe, ora pro nobis.
Sancte Matthǽe, ora pro nobis.
Sancte Simon, ora pro nobis.
Sancte Thaddǽe, ora pro nobis.
Sancte Matthía, ora pro nobis.
Sancta María Magdaléna, ora pro nobis.
Sancte Stéphane, ora pro nobis.
Sancte Ignáti Antiochéne, ora pro nobis.
Sancte Laurénti, ora pro nobis.
Sanctæ Perpétua et Felícitas, oráte pro nobis.


Sancta Agnes, ora pro nobis.
Sancte Gregóri, ora pro nobis.
Sancte Augustíne, ora pro nobis.
Sancte Athanási, ora pro nobis.
Sancte Basíli, ora pro nobis.
Sancte Martíne, ora pro nobis.
Sancte Benedícte, ora pro nobis.
Sancti Francísce et Domínice, oráte pro nobis.
Sancte Francísce (Xavier) ora pro nobis.
Sancte Ioánnes María (Vianney) ora pro nobis.
Sancta Catharína (Senensis) ora pro nobis.
Sancta Terésia a Iesu, ora pro nobis.
Omnes Sancti et Sanctæ Dei, oráte pro nobis.
Propítius esto, líbera nos, Dómine.
Ab omni malo, líbera nos, Dómine.
Ab omni peccáto, líbera nos, Dómine.
A morte perpétua, líbera nos, Dómine.
Per incarnatiónem tuam, líbera nos, Dómine.
Per mortem et resurrectiónem tuam, líbera nos, Dómine.
Per effusiónem Spíritus Sancti, líbera nos, Dómine.
Peccatóres, te rogámus, audi nos.
Ut Ecclésiam tuam sanctam régere et conserváre dignéris, te rogámus, audi nos.
Ut domnum apostólicum et omnes ecclesiásticos órdines in sancta religióne conserváre dignéris, te rogámus, audi nos.
Ut hunc eléctum (hos eléctos) benedícere dignéris, te rogámus, audi nos.
Ut hunc eléctum (hos eléctos) benedícere et sanctificáre dignéris, te rogámus, audi nos.
Ut hunc eléctum (hos eléctos) benedícere et sanctificáre et consecráre dignéris, te rogámus, audi nos.

Ut cunctis pópulis pacem et veram concórdiam donáre dignéris, te rogámus, audi nos.
Ut ómnibus in tribulatióne versántibus misericórdiam tuam largíri dignéris, te rogámus, audi nos.
Ut nosmetípsos in tuo sancto servítio confortáre et conserváre dignéris, te rogámus, audi nos.
Iesu, Fili Dei vivi, te rogámus, audi nos.


Christe, audi nos.
Christe, audi nos.

Christe, exáudi nos.
Christe, exáudi nos.


43. Litaniarum cantu expleto, Episcopus ordinans principalis stans, manibus extensis, dicit:




Pro-pi-ti-á-re, Dómine, suppli-ca-ti-ó-nibus nostris, et in-



cli-ná-to super hunc fámu-lum tu-um cor-nu grá-ti-æ sa-cer-
(hos fámu-los tu-os)



do-tá-lis, bene-dicti-ó-nis tu-æ in e-um effúnde virtú-
(e-os)



tem. Per Christum Dóminum nostrum.

Omnes:




Propitiáre, Dómine, supplicatiónibus nostris,
et inclináto super hunc fámulum tuum
cornu grátiæ sacerdotális,
benedictiónis tuæ in eum effúnde virtútem.
Per Christum Dóminum nostrum.

Omnes:

Amen.

Diaconus, si casus fert, admonet:



Et omnes surgunt.

Impositio manuum et Prex Ordinationis


44. Electus surgit, accedit ad Episcopum ordinantem principalem stantem ante sedem cum mitra, et coram eo genua flectit.

45. Episcopus ordinans principalis imponit manus super caput electi, nihil dicens. Deinde omnes Episcopi, accedentes successive, electo manus imponunt, nihil dicentes.

Post autem impositionem manuum Episcopi circa Episcopum ordinantem principalem manent, usquedum Prex Ordinationis finiatur, ita tamen ut actio a fidelibus bene conspici queat.

46. Deinde Episcopus ordinans principalis accipit librum Evangeliorum ab uno diacono et imponit apertum super caput electi; duo diaconi, a dexteris et sinistris electi stantes, tenent librum Evangeliorum super caput ipsius usquedum Prex Ordinationis finiatur.


47. Electo ante ipsum genuflexo, Episcopus ordinans principalis, dimissa mitra, habens apud se alios Episcopos ordinantes, pariter sine mitra, profert, extensis manibus, Precem Ordinationis:




De- us et Pa-ter Dómi-ni nostri Iesu Christi, Pa-ter mi-se-




ri-cordi- árum et De- us to- tí- us conso-la- ti- ó-nis, qui in




excélsis há-bi-tas et humí- li- a réspi-cis, qui cognóscis óm-




ni- a ántequam nascántur, tu qui de-dísti in Ecclé-si-




a tu- a normas per verbum grá- ti- æ tu- æ, qui prædesti-




násti ex princí-pi- o genus iustó-rum ab Abraham, qui con-



sti-tu- ísti príncipes et sacerdó-tes, et sanctu- á- ri- um tu-



um sine mi-nisté-ri- o non de-re-liquísti, cu- i ab i-ní-ti-




o mundi plá-cu- it, in his quos e-le-gísti glo- ri- fi-cá-ri:


Sequens pars orationis ab omnibus Episcopis ordinantibus, manibus iunctis, profertur, submissa voce tamen, ut vox Episcopi ordinantis principalis clare audiatur:




Et nunc effúnde super hunc e-léctum e- am virtútem, quæ
(*hos e-léctos*)




a te est, Spí-ri-tum principá-lem, quem de-dísti di-lécto




Fí- li- o tu- o Ie-su Christo, quem ipse doná-vit sanctis A-



pósto- lis, qui consti-tu- é-runt Ecclé- si- am per síngu-la lo-




ca ut sanctu- á-ri- um tu- um, in gló-ri- am et laudem in-



de-fi-ci- éntem nóminis tu- i.


Prosequitur solus Episcopus ordinans principalis:




Da, córdi- um cógni-tor Pa-ter, hu- ic servo tu- o, quem e-
(his servis tu- is, quos)




le-gí-sti ad E-piscopá- tum, ut pascat gre-gem sanctum tu-
(pascant)




um, et summum sa-cerdó- ti- um ti- bi exhíbe- at sine re-
(exhíbe- ant)




prehensi- óne, sérvi- ens ti-bi nocte et di- e, ut incessán-
(servi- éntes)




ter vultum tu- um propí- ti- um reddat et óffe-rat do-
(reddant) *(óffe-rant)*




na sanctæ Ecclé- si- æ tu- æ; da ut virtú-te Spí- ri-tus




summi sa-cerdó-ti- i hábe- at po-testá-tem di-mitténdi pec-
(hábe- ant)




cá-ta se-cúndum mandá-tum tu- um; ut distrí-bu- at múne-
(distrí-bu- ant)




ra se-cúndum præcéptum tu- um et solvat omne víncu-
(solvant)




lum secúndum po-testá-tem quam de-dísti Apósto -lis; plá-
(plá-




ce- at ti- bi in mansu- e-tú-di-ne et mundo corde, óffe-
ce- ant) *(offe-*



rens ti-bi odó-rem su- a-vi- tá- tis, per Fí- li- um tu- um
réntes)




Iesum Christum, per quem ti-bi gló -ri- a et po-ténti- a



et honor, cum Spí- ritu Sancto in sancta Ecclé- si- a



Omnes:



Deus et Pater Dómini nostri Iesu Christi,
Pater misericordiárum et Deus totíus consolatiónis,
qui in excélsis hábitas et humília réspicis,
qui cognóscis ómnia ántequam nascántur,
tu qui dedísti in Ecclésia tua normas
per verbum grátiæ tuæ,
qui prædestinásti ex princípio
genus iustórum ab Abraham,
qui constituísti príncipes et sacerdótes,
et sanctuárium tuum sine ministério non dereliquísti,
cui ab inítio mundi plácuit
in his quos eligísti glorificári:

Sequens pars orationis ab omnibus Episcopis ordinantibus, manibus iunctis, profertur, submissa voce tamen, ut vox Episcopi ordinantis principalis clare audiatur:

Et nunc effúnde super hunc eléctum
eam virtútem, quæ a te est,
Spíritum principálem,
quem dedísti diléctо Fílio tuo Iesu Christo,
quem ipse donávit sanctis Apóstolis,

qui constituérunt Ecclésiam per síngula loca
ut sanctuárium tuum,
in glóriam et laudem indeficiéntem nóminis tui.

Prosequitur solus Episcopus ordinans principalis:

Da, córdium cógnitor Pater,
huic servo tuo,
quem elegísti ad Episcopátum,
ut pascat gregem sanctum tuum,
et summum sacerdótium tibi exhíbeat
sine reprehensióne, sérviens tibi nocte et die,
ut incessánter vultum tuum propítium reddat
et ófferat dona sanctæ Ecclésiæ tuæ;
da ut virtúte Spíritus summi sacerdótii
hábeat potestátem dimitténdi peccáta
secúndum mandátum tuum;
ut distríbuat múnera
secúndum præcéptum tuum
et solvat omne vínculum
secúndum potestátem quam dedísti Apóstolis;
pláceat tibi in mansuetúdine et mundo corde,
ófferens tibi odórem suavitátis,
per Fílium tuum Iesum Christum,
per quem tibi glória et poténtia et honor,
cum Spíritu Sancto in sancta Ecclésia
et nunc et in sǽcula sæculórum.

Omnes:

Amen.

48. Finita Prece Ordinationis, diaconi resumunt librum Evangeliorum, quem tenebant supra caput Ordinati, et unus diaconorum librum tenet usquedum tradatur Ordinato. Omnes sedent. Episcopus ordinans principalis aliique Episcopi ordinantes sumunt mitram.

Unctio capitis et traditio libri Evangeliorum atque insignium

49. Episcopus ordinans principalis assumit gremiale linteum, accipit vas cum sacro chrismate ab uno diacono et inungit caput Ordinati ante se genuflexi, dicens:

Deus, qui summi Christi sacerdótii partícipem te effécit,
ipse te mýsticæ delibutiónis liquóre perfúndat,
et spirituális benedictiónis ubertáte fecúndet.

Deinde Episcopus ordinans principalis lavat manus.

50. Episcopus ordinans principalis accipiens a diacono librum Evangeliorum, eum tradit Ordinato, dicens:

Accipe Evangélium
et verbum Dei prǽdica
in omni patiéntia et doctrína.

Postea diaconus resumit librum Evangeliorum eumque reponit in loco suo.

51. Episcopus ordinans principalis anulum in digitum anularem dexteræ manus Ordinati immittit, dicens:

Accipe ánulum, fídei signáculum:
et sponsam Dei, sanctam Ecclésiam,
intemeráta fide ornátus,
illibáte custódi.

52. Si Ordinatus pallio fruitur, Episcopus ordinans principalis illud a diacono accipit et super umeros Ordinati imponit, dicens:

Accipe pállium de confessióne beáti Petri sumptum,
quod nómine Románi Pontíficis, Papæ N.,
tibi trádimus

in signum potestátis metropolitánæ,
ut eo utáris intra fines provínciæ ecclesiásticæ tuæ;
sit tibi sýmbolum unitátis,
cum Sede Apostólica communiónis téssera,
vínculum caritátis
et fortitúdinis incitaméntum.

53. Deinde Episcopus ordinans principalis imponit Ordinato mitram, dicens:

Accipe mitram,
et claréscat in te splendor sanctitátis,
ut, cum apparúerit princeps pastórum,
immarcescíbilem glóriæ corónam
percípere mereáris.

54. Ac tandem tradit Ordinato baculum pastoralem, dicens:


Accipe báculum,
pastorális múneris signum,
et atténde univérso gregi,
in quo te Spíritus Sanctus pósuit Epíscopum
régere Ecclésiam Dei.


55. Surgunt omnes. Si Ordinatio facta est in ecclesia propria Ordinati, Episcopus ordinans principalis eum invitat, ut sedeat in cathedra, ipse vero Episcopus ordinans principalis sedet ad dexteram Ordinati.

Episcopus autem extra Ecclesiam propriam ordinatus invitatur ab Episcopo ordinante principali, ut sedeat primus inter Episcopos concelebrantes.


56. Demum Ordinatus, deposito baculo, surgit et accipit ab Episcopo ordinante principali et ab omnibus Episcopis osculum.


57. Interea usque ad finem huius ritus cani potest antiphona:





vel in Quadragesima:





cum Psalmo 95 (96), vel alius aptus cantus eiusdem generis qui conveniat antiphonæ, præsertim quando Psalmus 95 (96) tamquam Psalmus responsorius in liturgia verbi adhibitus fuerit.

Psalmus 95 (96)

Cantáte Dómino cánticum novum, *
cantáte Dómino, omnis terra.
Cantáte Dómino, benedícite nómini eius, *
annuntiáte de die in diem salutáre eius.

(Repetitur antiphona)

Annuntiáte inter gentes glóriam eius, *
in ómnibus pópulis mirabília eius.
Quóniam magnus Dóminus et laudábilis nimis, *
terríbilis est super omnes deos.

(Repetitur antiphona)

Quóniam omnes dii géntium inánia, *
Dóminus autem cælos fecit.
Magnificéntia et pulchritúdo in conspéctu eius, *
poténtia et decor in sanctuário eius.

(Repetitur antiphona)

Afférte Dómino, famíliæ populórum, †
afférte Dómino glóriam et poténtiam, *
afférte Dómino glóriam nóminis eius.
Tóllite hóstias et introíte in átria eius, *
adoráte Dóminum in splendóre sancto.

(Repetitur antiphona)

Contremíscite a fácie eius, univérsa terra, *
dícite in géntibus: « Dóminus regnávit! ».
Etenim corréxit orbem terræ,
qui non commovébitur; *
iudicábit pópulos in æquitáte.

(Repetitur antiphona)

Lætántur cæli et exsúltet terra, †
sonet mare et plenitúdo eius; *
gaudébunt campi et ómnia, quæ in eis sunt.
Tunc exsultábunt ómnia ligna silvárum †
a fácie Dómini, quia venit, *
quóniam venit iudicáre terram.
Iudicábit orbem terræ in iustítia *
et pópulos in veritáte sua.

(Repetitur antiphona)

Non dicitur Glória Patri. Psalmus tamen abrumpitur et repetitur antiphona, postquam Episcopi osculum Ordinato dederunt.

58. Missa prosequitur more solito. Symbolum dicitur secundum rubricas; oratio universalis omittitur.

Liturgia eucharistica

59. In Prece eucharistica mentio Episcopi modo ordinati fit secundum has formulas:

a) In Prece eucharistica I, dicitur Hanc ígitur proprium:

Hanc ígitur oblatiónem servitútis nostræ,
sed et cunctæ famíliæ tuæ,
quam tibi offérimus étiam pro fámulo tuo N.,
(pro me indígno fámulo tuo),
quem ad episcopátus Ordinem promovére dignátus es,
quǽsumus, Dómine, ut placátus accípias,
et propítius in eo (in me) tua dona custódias,
ut, quod divíno múnere consecútus est,
divínis efféctibus exsequátur.
(Per Christum Dóminum nostrum. Amen.)

b) In intercessionibus Precis eucharisticæ II, post verba ... congregémur in unum dicitur:

Recordáre, Dómine, Ecclésiæ tuæ toto orbe diffúsæ,
ut eam in caritáte perfícias
una cum Papa nostro N. et Epíscopo nostro N.,
(et fámulo tuo N.)
quem hódie pastórem Ecclésiæ (N.) providére voluísti,
et univérso clero.
Meménto étiam fratrum nostrórum ...

c) In intercessionibus Precis eucharisticæ III, post verba ... ad totíus mundi pacem atque salútem dicitur:

Ecclésiam tuam, peregrinántem in terra,
in fide et caritáte firmáre dignéris
cum fámulo tuo Papa nostro N. et Epíscopo nostro N.,
(et fámulo tuo N.)
qui hódie pastor Ecclésiæ (N.) ordinátus est,

cum episcopáli Ordine et univérso clero,
et omni pópulo acquisitiónis tuæ:
Votis huius famíliæ ...

d) In intercessionibus Precis eucharisticæ IV, post verba ... ad laudem glóriæ tuæ dicitur:

Nunc ergo, Dómine, ómnium recordáre,
pro quibus tibi hanc oblatiónem offérimus:
in primis fámuli tui, Papæ nostri N.,
Epíscopi nostri N., (et istíus fámuli tui N.)
quem hódie ad servítium pópuli tui elígere dignátus es,
et Episcopórum Ordinis univérsi,
sed et totíus cleri;
recordáre quoque offeréntium,
et circumstántium,
et cuncti pópuli tui,
et ómnium, qui te quærunt corde sincéro.
Meménto étiam illórum ...

60. Parentes et propinqui Ordinati Communionem sub utraque specie recipere possunt.

Ritus conclusionis

61. Expleta oratione post Communionem, canitur hymnus Te Deum laudámus vel alius hymnus huic respondens, iuxta locorum consuetudines. Interim Ordinatus accipit mitram et baculum ac ducitur a duobus ex Episcopis ordinantibus per ecclesiam, et omnibus benedicit.

62. Finito hymno, Ordinatus, stans ad altare vel, si est in Ecclesia propria, ad cathedram, populum breviter alloqui potest.

63. Postea Episcopus, qui liturgiæ eucharisticæ præfuit, benedictionem impertitur. Loco benedictionis consuetæ, dici potest benedictio sollemnior quæ sequitur. Diaconus dicere potest invitatorium:

Inclináte vos ad benedictiónem.

vel aliis verbis expressum.

Deinde, si Ordinatus benedictionem impertitur, prius supplicationem triplicem profert, manibus extensis:

Deus, qui pópulis tuis indulgéndo cónsulis
et amóre domináris,
da Spíritum sapiéntiæ
quibus tradidísti régimen disciplínæ,
ut de proféctu sanctárum óvium
fiant gáudia ætérna pastórum.

Omnes:

Amen.

Ordinatus:

Et qui diérum nostrórum númerum
temporúmque mensúras
maiestátis tuæ potestáte dispénsas,
propítius ad humilitátis nostræ réspice servitútem
et pacis tuæ abundántiam
tempóribus nostris præténde perféctam.

Omnes:

Amen.

Ordinatus:

Collátis quoque in me per grátiam tuam
propitiáre munéribus
et quem fecísti gradu episcopáli sublímem,
fac óperum perfectióne tibi placéntem
atque in eum afféctum
dírige cor plebis et præsulis,
ut nec pastóri obœdiéntia gregis
nec gregi desit umquam cura pastóris.

Omnes:

Amen.

Dein Ordinatus profert benedictionem:

Et vos omnes, qui hic simul adéstis,
benedícat omnípotens Deus,
Pater, ✠ et Fílius, ✠ et Spíritus ✠ Sanctus.

Omnes:

Amen.

Si vero Episcopus ordinans principalis benedictionem impertitur, dicit, manibus super Ordinatum et populum extensis:

Benedícat tibi Dóminus et custódiat te;
sicut vóluit super pópulum suum te constitúere pontíficem,
ita in præsénti sǽculo felícem
et ætérnæ felicitátis fáciat te esse consórtem.

Omnes:

Amen.

Episcopus ordinans principalis:

Clerum ac pópulum,
quem sua vóluit opitulatióne congregári,
sua dispensatióne et tua administratióne
per diutúrna témpora
fáciat felíciter gubernári.

Omnes:

Amen.

Episcopus ordinans principalis:

Quátenus divínis mónitis paréntes,
adversitátibus caréntes,
bonis ómnibus exuberántes,
tuo ministério fide obsequéntes,
et in præsénti sǽculo
pacis tranquillitáte fruántur
et tecum æternórum cívium consórtio
potíri mereántur.

Omnes:

Amen.

Episcopus ordinans principalis:

Et vos omnes, qui hic simul adéstis,
benedícat omnípotens Deus,
Pater, ✠ et Fílius, ✠ et Spíritus ✠ Sanctus.

Omnes:

Amen.

64. Data benedictione et populo a diacono dimisso, fit processio ad secretarium more consueto.

RITUS ORDINATIONIS EPISCOPI PLURIBUS SIMUL CONFERENDÆ

65. Quæ supra in Prænotandis, nn. 15-27 exponuntur valent etiam de Ritu Ordinationis Episcopi pluribus simul conferendæ.

Hic speciatim indicatur:

a) singulis electis assistant duo presbyteri;

b) valde convenit, ut omnes Episcopi ordinantes necnon presbyteri electis assistentes cum Episcopo ordinante principali et cum electis Missam concelebrent. Si Ordinatio fit in Ecclesia propria alicuius electi, etiam aliqui ex eius presbyterio concelebrent;

c) si Ordinatio fit intra fines propriæ diœcesis alicuius electi, Episcopus ordinans principalis Episcopum modo ordinatum invitare potest ut præsideat concelebrationi in liturgia eucharistica. Secus Episcopus ordinans principalis præsidet concelebrationi; Episcopi vero modo ordinati primum locum tenent inter ceteros concelebrantes;

d) præter ea quæ ad Missæ stationalis celebrationem necessaria sunt, parentur:
— Liber De Ordinatione;
— libelli Precis Ordinationis pro Episcopis ordinantibus;
— Evangelia singulis electis imponenda;
— gremiale linteum;
— sanctum chrisma;
— ea quæ ad manuum lotionem necessaria sunt;
— anulus, baculus pastoralis et mitra pro singulis electis et, si casus fert, pallium. Hæc insignia, pallio excepto, benedictione prævia non indigent, cum in ipso ritu Ordinationis tradantur.

e) sedes parentur modo supra n. 29 indicato.

66. Episcopus ordinans principalis necnon Episcopi et presbyteri concelebrantes sacras vestes induunt quæ sibi respective ad Missæ celebrationem requiruntur.

Episcopus ordinans principalis convenienter sub casula induit dalmaticam.

Electi induunt omnia paramenta sacerdotalia necnon crucem pectoralem et dalmaticam.

Episcopi autem ordinantes qui forte non concelebrent, sumunt albam, crucem pectoralem, stolam et, pro opportunitate, pluviale et mitram. Presbyteri electis assistentes, si forte non concelebrent, induunt pluviale super albam.

Vestes sint coloris Missæ quæ celebratur, secus coloris albi, vel vestes festivæ seu nobiliores adhibeantur.

Ritus initiales et Liturgia verbi

67. Omnibus rite dispositis, ordinatur processio per ecclesiam ad altare modo consueto. Diaconum librum Evangeliorum, qui in Missa et Ordinatione adhibetur, deferentem et alios diaconos, si adsint, sequuntur presbyteri concelebrantes, deinde singuli electi medii inter presbyteros sibi assistentes, postea Episcopi ordinantes ac denique Episcopus ordinans principalis et paulisper retro eum duo diaconi ei assistentes. Cum ad altare pervenerint, facta debita reverentia, omnes accedunt ad loca sibi assignata. Curandum est tamen ut distinctio inter Episcopos et presbyteros manifeste appareat etiam dispositione locorum.

Interim canitur antiphona ad introitum cum suo psalmo vel alius cantus aptus.

68. Ritus initiales et liturgia verbi peraguntur more consueto usque ad Evangelium inclusive.

69. Si quis Episcopus in sua ecclesia cathedrali ordinatur, post salutationem populi unus e diaconis vel ex presbyteris concelebrantibus Litteras apostolicas Collegio consultorum, præsente cancellario Curiæ qui rem in acta referat, ostendit ac deinde ad ambonem legit, quas omnes sedentes auscultant et in fine acclamant, dicentes: Deo grátias vel aliam acclamationem aptam.

In diœcesibus vero noviter erectis, clero ac populo in ecclesia cathedrali præsentibus earundem Litterarum communicatio fit, presbytero inter præsentes seniore acta referente.

70. Post lectionem Evangelii, diaconus librum Evangeliorum iterum super altare reverenter deponit, ubi remanet usquedum super caput unius Ordinati positum fuerit.

Ordinatio

71. Deinde incipit Ordinatio Episcoporum. Omnibus stantibus, cani potest hymnus Veni, creátor Spíritus, vel alius hymnus huic respondens, iuxta locorum consuetudines.

72. Deinde Episcopus ordinans principalis aliique Episcopi ordinantes accedunt, si opus est, ad sedes pro Ordinatione paratas.

Præsentatio electorum

73. Singuli electi a presbyteris ipsi assistentibus adducuntur ante Episcopum ordinantem principalem, cui reverentiam faciunt.

74. Unus e presbyteris assistentibus alloquitur Episcopum ordinantem principalem his verbis:

Reverendíssime Pater, póstulat Ecclésia N., ut presbýterum N. ad onus Episcopátus órdines.

Si vero agitur de Episcopo ordinando non residentiali:

Reverendíssime Pater, póstulat sancta Mater Ecclésia cathólica, ut presbýterum N. ad onus Episcopátus órdines.

Sic fit pro unoquoque electorum. In fine Episcopus ordinans principalis interrogat, dicens:

Habétis mandátum Apostólicum?

Unus e presbyteris respondet:

Habémus.

Episcopus ordinans principalis:

Legátur.

Tunc legitur mandatum, omnibus sedentibus. Quo perlecto, omnes dicunt:

Deo grátias,

vel alio modo, iuxta Prænotanda generalia n. 11 statuto, electioni assentiunt.

Homilia

75. Deinde Episcopus ordinans principalis, omnibus sedentibus, homiliam habet, in qua, initium sumens e textu lectionum quæ in liturgia verbi lectæ sunt, clerum ac populum necnon electos de munere Episcopi alloquitur. De tali munere autem loqui potest his vel similibus verbis, aptando tamen textum, si ordinantur Episcopi non residentiales:

Dilectíssimi, sédulo atténdite, ad qualem in Ecclésia gradum fratres nostri sint provehéndi. Dóminus noster Iesus Christus, a Patre missus, ut genus humánum redímeret, ipse in mundum duódecim misit Apóstolos qui, Spíritus Sancti virtúte repléti, Evangélium prædicárent et omnes gentes in unum ovíle congregántes, sanctificárent et gubernárent. Ut autem hoc munus usque ad finem sæculi permanéret, Apóstoli sibi adiutóres elegérunt, quibus donum Spíritus Sancti a Christo accéptum per impositiónem mánuum tradidérunt, qua Ordinis sacraménti plenitúdo confértur. Sic a generatióne in generatiónem principális tradítio per successiónem Episcopórum contínuam serváta est et opus Salvatóris ad nostra usque témpora persevérat et crescit.

In Epíscopo a presbýteris suis circúmdato adest in médio vestri ipse Dóminus noster Iesus Christus, Póntifex factus in ætérnum. Ipse enim in ministério Epíscopi Evangélium prædicáre et credéntibus mystéria fídei ministráre non désinit. Ipse patérno Epíscopi múnere nova membra córpori suo addit et ággregat. Ipse Epíscopi sapiéntia et prudéntia vos in peregrinatióne terréna ad beatitúdinem perdúcit ætérnam.

Grato ígitur lætóque ánimo fratres nostros excípite, quos nos, Epíscopi, per impositiónem mánuum in collégium nostrum cooptámus. Illos honoráte ut minístros Christi et dispensatóres mysteriórum Dei, quibus testificátio Evangélii veritátis concréditur atque ministrátio Spíritus et iustítiæ. Mementóte verbórum Christi dicéntis Apóstolis: « Qui vos audit me audit, et qui vos spernit me spernit. Qui autem me spernit, spernit eum qui me misit ».

Vos autem, fratres caríssimi, elécti a Dómino, cogitáte vos ex homínibus esse assúmptos et pro homínibus constitútos in iis quæ sunt ad Deum. Episcopátus enim nomen est óperis, non honóris, et Epíscopum magis prodésse quam præésse opórtet. Nam qui maior est, secúndum Magístri præcéptum, sit ut minor, et qui præcéssor est, sicut ministrátor. Prædicáte opportúne, importúne, increpáte in omni patiéntia et doctrína. In oratióne et sacrifícii oblatióne pro pópulo vobis commísso, de plenitúdine sanctitátis Christi multifórmem grátiam abundánter studeátis impetráre.

In Ecclésia vobis crédita, mysteriórum Christi dispensatóres, moderatóres et custódes estóte fidéles. Elécti a Patre ad eius gubernándam famíliam, mémores estóte semper boni Pastóris, qui oves suas cognóscit et quem oves cognóscunt, et qui ánimam pónere pro óvibus suis non dubitávit.

Univérsos, quos Deus vobis commíttit, patérna atque fratérna dilígite caritáte, imprímis presbýteros et diáconos, vestros in ministério Christi consórtes, sed et páuperes et débiles, peregrínos et ádvenas. Hortámini fidéles ut in ópere apostólico vobíscum labórent, eósque libénter audíre ne renuátis. De illis autem, qui nondum uni Christi ovíli sunt aggregáti, curam habeátis indeféssam, tamquam vobis in Dómino commendátis. In Ecclésia cathólica, caritátis vínculo adunáta, numquam obliviscámini vos collégio Episcopórum esse coniúnctos, ita ut ómnium Ecclesiárum sollicitúdinem ferre non desinátis et Ecclésiis auxílio egéntibus libénter

subveniátis. Atténdite ígitur univérso gregi in quo Spíritus Sanctus vos ponit régere Dei Ecclésiam, in nómine Patris, cuius in Ecclésia imáginem repræsentátis, et in nómine Fílii eius Iesu Christi, cuius múnere Doctóris, Sacerdótis et Pastóris fungémini, et in nómine Spíritus Sancti, qui Ecclésiam Christi vivíficat et infirmitátem nostram sua virtúte confírmat.

Promissio electorum

76. Post homiliam electi soli surgunt et stant ante Episcopum ordinantem principalem, qui illos omnes simul interrogat his verbis:

Antíqua sanctórum Patrum institútio præcipit, ut, qui Epíscopus ordinándus est, coram pópulo interrogétur de propósito fídei servándæ et múneris exsequéndi.

Vultis ergo, fratres caríssimi, munus nobis ab Apóstolis créditum et vobis per impositiónem mánuum nostrárum tradéndum cum grátia Spíritus Sancti usque ad mortem explére?

Electi omnes simul respondent:

Volo.

Episcopus ordinans principalis:

Vultis Evangélium Christi fidéliter et indesinénter prædicáre?

Electi:

Volo.

Episcopus ordinans principalis:

Vultis depósitum fídei, secúndum traditiónem inde ab Apóstolis in Ecclésia semper et ubíque servátam, purum et íntegrum custodíre?

Electi:

Volo.

Episcopus ordinans principalis:

Vultis corpus Christi, Ecclésiam eius, ædificáre et in eius unitáte cum Ordine Episcopórum, sub auctoritáte successóris beáti Petri Apóstoli, permanére?

Electi:

Volo.

Episcopus ordinans principalis:

Vultis beáti Petri Apóstoli successóri obœdiéntiam fidéliter exhibére?

Electi:

Volo.

Episcopus ordinans principalis:

Vultis plebem Dei sanctam, cum commiístris vestris presbýteris et diáconis, ut pii patres, fovére et in viam salútis dirígere?

Electi:

Volo.

Episcopus ordinans principalis:

Vultis paupéribus et peregrínis omnibúsque indigéntibus propter nomen Dómini affábiles et misericórdes vos præbére?

Electi:

Volo.

Episcopus ordinans principalis:

Vultis oves errántes ut boni pastóres requírere et ovíli domínico aggregáre?

Electi:

Volo.

Episcopus ordinans principalis:

Vultis Deum omnipoténtem pro pópulo sancto indesinénter oráre et sine reprehensióne summi sacerdótii munus explére?

Electi:

Volo, Deo auxiliánte.

Episcopus ordinans principalis:

Qui cœpit in vobis opus bonum, Deus, ipse perfíciat.

Supplicatio litanica

77. Deinde Episcopi mitram deponunt et omnes surgunt. Episcopus ordinans principalis stans, manibus iunctis, versus ad populum dicit invitatorium (pro cantu, cf. n. 41, mutato tamen numero plurali):

Orémus, dilectíssimi nobis,
ut his eléctis,
utilitáti Ecclésiæ próvidens,
benígnitas omnipoténtis Dei
grátiæ suæ tríbuat largitátem.

78. Tunc electi procumbunt et canuntur litaniæ, omnibus respondentibus; quod diebus dominicis necnon tempore paschali fit omnibus stantibus, ceteris autem diebus flexis genibus. Quo in casu diaconus admonet:

Flectámus génua.

In litaniis addi possunt suis locis aliqua nomina Sanctorum, ex. gr. Patroni, Titularis ecclesiæ, Fundatoris, Patroni eorum qui Ordinationem recipiunt, aut aliquæ invocationes magis aptæ singulis circumstantiis.

Sanctorum cognomina, inter parentheses posita, opportune omittuntur, quando litaniæ latina lingua canuntur.

Tunc cantores incipiunt litanias, cf. supra n. 42; invocationes tamen super electos dicuntur numero plurali.

79. Litaniarum cantu expleto, Episcopus ordinans principalis stans, manibus extensis, dicit (pro cantu, cf. n. 43, mutato tamen numero plurali):

Propitiáre, Dómine, supplicatiónibus nostris,
et inclináto super hos fámulos tuos
cornu grátiæ sacerdotális,
benedictiónis tuæ in eos effúnde virtútem.
Per Christum Dóminum nostrum.

Omnes:

Amen.

Diaconus, si casus fert, admonet:

Leváte.

Et omnes surgunt.

Impositio manuum et Prex Ordinationis

80. Electi surgunt, accedunt ad Episcopum ordinantem principalem stantem ante sedem cum mitra et coram eo genua flectunt.

81. Episcopus ordinans principalis imponit manus super caput uniuscuiusque electi, nihil dicens. Deinde omnes Episcopi, accedentes successive, electis manus imponunt, nihil dicentes.

Post autem impositionem manuum Episcopi circa Episcopum ordinantem principalem manent, usquedum Prex Ordinationis finiatur, ita tamen ut actio a fidelibus bene conspici queat.

82. Deinde Episcopus ordinans principalis accipit librum Evangeliorum ab uno diacono et imponit apertum super caput singulorum electorum; duo diaconi, a dexteris et sinistris uniuscuiusque electi stantes, tenent librum Evangeliorum super caput ipsius usquedum Prex Ordinationis finiatur.

83. Electis ante ipsum genuflexis, Episcopus ordinans principalis, dimissa mitra, habens apud se alios Episcopos ordinantes, pariter sine mitra, profert (pro cantu, cf. n. 47, mutato tamen numero plurali), extensis manibus, Precem Ordinationis:

Deus et Pater Dómini nostri Iesu Christi,
Pater misericordiárum et Deus totíus consolatiónis,
qui in excélsis hábitas et humília réspicis,

qui cognóscis ómnia ántequam nascántur,
tu qui dedísti in Ecclésia tua normas
per verbum grátiæ tuæ,
qui prædestinásti ex princípio
genus iustórum ab Abraham,
qui constituísti príncipes et sacerdótes,
et sanctuárium tuum sine ministério non dereliquísti,
cui ab inítio mundi plácuit
in his quos eligísti glorificári:

Sequens pars orationis ab omnibus Episcopis ordinantibus, manibus iunctis, profertur, submissa voce tamen, ut vox Episcopi ordinantis principalis clare audiatur:

Et nunc effúnde super hos eléctos
eam virtútem, quæ a te est,
Spíritum principálem,
quem dedísti dilécto Fílio tuo Iesu Christo,
quem ipse donávit sanctis Apóstolis,
qui constituérunt Ecclésiam per síngula loca
ut sanctuárium tuum,
in glóriam et laudem indeficiéntem nóminis tui.

Prosequitur solus Episcopus ordinans principalis:

Da, córdium cógnitor Pater,
his servis tuis,
quos elegísti ad Episcopátum,
ut pascant gregem sanctum tuum,
et summum sacerdótium tibi exhíbeant
sine reprehensióne,
serviéntes tibi nocte et die,

ut incessánter vultum tuum propítium reddant
et ófferant dona sanctæ Ecclésiæ tuæ;
da ut virtúte Spíritus summi sacerdótii
hábeant potestátem dimitténdi peccáta
secúndum mandátum tuum;
ut distríbuant múnera
secúndum præcéptum tuum
et solvant omne vínculum
secúndum potestátem quam dedísti Apóstolis;
pláceant tibi in mansuetúdine et mundo corde,
offeréntes tibi odórem suavitátis,
per Fílium tuum Iesum Christum,
per quem tibi glória et poténtia et honor,
cum Spíritu Sancto in sancta Ecclésia
et nunc et in sǽcula sæculórum.

Omnes:

Amen.

84. Finita Prece Ordinationis, diaconi resumunt librum Evangeliorum, quem tenebant supra caput uniuscuiusque Ordinati, et unus diaconorum librum tenet usquedum tradatur Ordinato. Omnes sedent. Episcopus ordinans principalis aliique Episcopi ordinantes sumunt mitram.

Unctio capitis et traditio libri Evangeliorum atque insignium

85. Episcopus ordinans principalis assumit gremiale linteum, accipit vas cum sacro chrismate ab uno diacono et inungit caput uniuscuiusque Ordinati ante se genuflexi, dicens:

Deus, qui summi Christi sacerdótii partícipem te effécit,
ipse te mýsticæ delibutiónis liquóre perfúndat,
et spirituális benedictiónis ubertáte fecúndet.

Deinde Episcopus ordinans principalis lavat manus.

86. Episcopus ordinans principalis accipiens a diacono librum Evangeliorum, eum tradit unicuique Ordinato, dicens:

Accipe Evangélium
et verbum Dei prǽdica
in omni patiéntia et doctrína.

Postea diaconus resumit librum Evangeliorum eumque reponit in loco suo.

87. Episcopus ordinans principalis anulum in digitum anularem dexteræ manus uniuscuiusque Ordinati immittit, dicens:

Accipe ánulum, fídei signáculum:
et sponsam Dei, sanctam Ecclésiam,
intemeráta fide ornátus,
illibáte custódi.

88. Si quis Ordinatus pallio fruitur, Episcopus ordinans principalis illud a diacono accipit et super umeros Ordinati imponit, dicens:

Accipe pállium de confessióne beáti Petri sumptum,
quod nómine Románi Pontíficis, Papæ N.,
tibi trádimus
in signum potestátis metropolitánæ,
ut eo utáris intra fines provínciæ ecclesiásticæ tuæ;
sit tibi sýmbolum unitátis,
cum Sede Apostólica communiónis téssera,
vínculum caritátis
et fortitúdinis incitaméntum.

89. Deinde Episcopus ordinans principalis imponit unicuique Ordinato mitram, dicens:

Accipe mitram,
et claréscat in te splendor sanctitátis,
ut, cum apparúerit princeps pastórum,
immarcescíbilem glóriæ corónam
percípere mereáris.

90. Ac tandem tradit unicuique Ordinato baculum pastoralem, dicens:

Accipe báculum,
pastorális múneris signum,
et atténde univérso gregi,
in quo te Spíritus Sanctus pósuit Epíscopum
régere Ecclésiam Dei.

91. Surgunt omnes. Si Ordinatio facta est ad cathedram, in Ecclesia propria alicuius Ordinati, Episcopus ordinans principalis eum invitat, ut sedeat in cathedra, ipse vero sedet ad dexteram eius. Alii Episcopi autem, extra Ecclesiam propriam ordinati, invitantur ab Episcopo ordinante principali, ut sedeant primi inter Episcopos concelebrantes.

Si autem Ordinatio non facta est ad cathedram, Episcopus Ordinans principalis deducit Ordinatum in propria ecclesia ad cathedram et alios ad loca eis parata, Episcopis ordinantibus eos sequentibus.

92. Demum Ordinati, deposito baculo, surgunt et accipiunt ab Episcopo ordinante principali et ab omnibus Episcopis osculum.

93. Interea usque ad finem huius ritus cani potest antiphona:

Eúntes in mundum (allelúia),
docéte omnes gentes (allelúia).

cum Psalmo 95 (96) Cantáte Dómino cánticum novum, cf. n. 57, vel alius aptus cantus eiusdem generis qui conveniat antiphonæ, præsertim quando Psalmus 95 (96) tamquam psalmus responsorius in liturgia verbi adhibitus fuerit.

94. Missa prosequitur more solito. Symbolum dicitur secundum rubricas; oratio universalis omittitur.

Liturgia eucharistica

95. In Prece eucharistica mentio Episcoporum modo ordinatorum fit secundum has formulas:

a) In Prece eucharistica I, dicitur Hanc ígitur proprium:

Hanc ígitur oblatiónem servitútis nostræ,
sed et cunctæ famíliæ tuæ,
quam tibi offérimus étiam pro his fámulis tuis N.N.
(pro me indígno fámulo tuo et pro his fámulis tuis N.N.),
quos ad episcopátus Ordinem promovére dignátus es,
quǽsumus, Dómine, ut placátus accípias,
et propítius in eis (nobis) tua dona custódias,
ut, quod divíno múnere consecúti sunt,
divínis efféctibus exsequántur.
(Per Christum Dóminum nostrum. Amen.)

b) In intercessionibus Precis eucharisticæ II, post verba ... congregémur in unum dicitur:

Recordáre, Dómine, Ecclésiæ tuæ toto orbe diffúsæ,
ut eam in caritáte perfícias
una cum Papa nostro N. (et Epíscopo nostro N.),
(et fámulis tuis N.N.)
quos hódie pastóres Ecclésiæ providére voluísti,
et univérso clero.
Meménto étiam fratrum nostrórum ...

c) In intercessionibus Precis eucharisticæ III, post verba ... ad totíus mundi pacem atque salútem dicitur:

Ecclésiam tuam, peregrinántem in terra,
in fide et caritáte firmáre dignéris
cum fámulo tuo Papa nostro N. (et Epíscopo nostro N.),
(et fámulis tuis N.N.)
qui hódie pastóres Ecclésiæ ordináti sunt,

cum episcopáli Ordine et univérso clero,
et omni pópulo acquisitiónis tuæ:
Votis huius famíliæ ...

d) In intercessionibus Precis eucharisticæ IV, post verba ... ad laudem glóriæ tuæ dicitur:

Nunc ergo, Dómine, ómnium recordáre,
pro quibus tibi hanc oblatiónem offérimus:
in primis fámuli tui, Papæ nostri N.,
(Epíscopi nostri N.), (et istórum famulórum tuórum N.N.)
quos hódie ad servítium pópuli tui elígere dignátus es,
et Episcopórum Ordinis univérsi,
sed et totíus cleri;
recordáre quoque offeréntium,
et circumstántium,
et cuncti pópuli tui,
et ómnium, qui te quærunt corde sincéro.
Meménto étiam illórum ...

96. Parentes et propinqui Ordinatorum Communionem sub utraque specie recipere possunt.

Ritus conclusionis

97. Expleta oratione post Communionem, canitur hymnus Te Deum laudámus vel alius hymnus huic respondens, iuxta locorum consuetudines. Interim Ordinati accipiunt mitram et baculum ac ducuntur ab Episcopis ordinantibus per ecclesiam, et omnibus benedicunt.

98. Finito hymno, Ordinati stant ad altare cum mitra et baculo. Ante benedictionem autem unus ex illis, præsertim si quis est in Ecclesia propria, ad cathedram, potest populum breviter alloqui.

99. Postea Episcopus, qui liturgiæ eucharisticæ præfuit, benedictionem impertitur. Loco benedictionis consuetæ, dici potest benedictio sollemnior quæ sequitur. Diaconus dicere potest invitatorium:

Inclináte vos ad benedictiónem.

vel aliis verbis expressum.

Deinde, si celebrans principalis est unus ex Ordinatis, benedictionem impertitur, prius supplicationem triplicem profert, manibus extensis:

Deus, qui pópulis tuis indulgéndo cónsulis
et amóre domináris,
da Spíritum sapiéntiæ
quibus tradidísti régimen disciplínæ,
ut de proféctu sanctárum óvium
fiant gáudia ætérna pastórum.

Omnes:
Amen.

Ordinatus:

Et qui diérum nostrórum númerum
temporúmque mensúras
maiestátis tuæ potestáte dispénsas,
propítius ad humilitátis nostræ réspice servitútem
et pacis tuæ abundántiam
tempóribus nostris præténde perféctam.

Omnes:
Amen.

Ordinatus:

Collátis quoque in nobis per grátiam tuam
propitiáre munéribus
et quos fecísti gradu episcopáli sublímes,
fac óperum perfectióne tibi placéntes
atque in eum afféctum
dírige cor plebis et prǽsulis,
ut nec pastóri obœdiéntia gregis
nec gregi desit umquam cura pastóris.

Omnes:
Amen.

Dein Ordinatus benedictionem profert:

Et vos omnes, qui hic simul adéstis,
benedícat omnípotens Deus,
Pater, ✠ et Fílius, ✠ et Spíritus ✠ Sanctus.

Omnes:

Amen.

Si vero Episcopus ordinans principalis benedictionem impertitur, dicit, manibus super Ordinatos et populum extensis:

Benedícat vobis Dóminus et custódiat vos;
sicut vóluit super pópulum suum vos constitúere pontífices,
ita in præsénti sǽculo felíces
et ætérnæ felicitátis fáciat vos esse consórtes.

Omnes:

Amen.

Episcopus ordinans principalis:

Clerum ac pópulum,
quem sua vóluit opitulatióne congregári,
sua dispensatióne et vestra administratióne
per diutúrna témpora
fáciat felíciter gubernári.

Omnes:

Amen.

Episcopus ordinans principalis:

Quátenus divínis mónitis paréntes,
adversitátibus caréntes,
bonis ómnibus exuberántes,
vestro ministério fide obsequéntes,
et in præsénti sǽculo
pacis tranquillitáte fruántur
et vobíscum æternórum cívium consórtio
potíri mereántur.

Omnes:

Amen.

Episcopus ordinans principalis:

Et vos omnes, qui hic simul adéstis,
benedícat omnípotens Deus,
Pater, ✠ et Fílius, ✠ et Spíritus ✠ Sanctus.

Omnes:

Amen.

100. Data benedictione et populo a diacono dimisso, fit processio ad secretarium more consueto.

CAPUT II

DE ORDINATIONE PRESBYTERORUM

PRÆNOTANDA

I

De Ordinationis momento

101. Sacra Ordinatione presbyteris illud sacramentum confertur, quo « unctione Spiritus Sancti, speciali charactere signantur et sic Christo sacerdoti configurantur, ita ut in persona Christi capitis agere valeant ».[1]

Presbyteri ergo in sacerdotio et missione Episcopi partem habent. Ordinis episcopalis probi cooperatores, ad populo Dei inserviendum vocati, unum presbyterium cum suo Episcopo constituunt, diversis quidem officiis mancipatum.[2]

102. Muneris unici Mediatoris Christi (1 Tim 2, 5) participes in suo gradu ministerii, omnibus verbum divinum annuntiant. Suum vero munus sacrum maxime exercent in eucharistica synaxi. Pro fidelibus pænitentibus vel ægrotantibus ministerio reconciliationis et allevationis summe funguntur, et necessitates ac preces fidelium ad Deum Patrem afferunt (cf. Hebr 5, 1-4). Munus Christi Pastoris et Capitis pro sua parte auctoritatis exercentes, familiam Dei, ut fraternitatem in unum animatam, colligunt et per Christum in Spiritu ad Deum Patrem adducunt. In medio gregis eum in Spiritu et veritate adorant (cf. Io 4, 24). In verbo demum et doctrina laborant (cf. 1 Tim 5, 17), credentes quod in lege Domini meditantes legerint, docentes quod crediderint, imitantes quod docuerint.[3]

[1] Conc. Vat. II, Decr. de Presbyterorum ministerio et vita, *Presbyterorum Ordinis*, n. 2.
[2] Cf. Conc. Vat. II, Const. dogm. de Ecclesia, *Lumen gentium*, n. 28.
[3] Cf. *ibid.*

II

De officiis et ministeriis

103. Omnium fidelium diœcesis est, ut candidatos ad presbyteratum precibus prosequantur. Hoc fiat præsertim in oratione universali Missæ et in precibus Vesperarum.

104. Quia presbyter pro tota Ecclesia locali constituitur, ad presbyterorum Ordinationem clerici aliique fideles invitandi sunt, ut quam maxima frequentia celebrationi intersint. Præsertim omnes presbyteri diœcesis ad celebrationem Ordinationis invitentur.

105. Sacræ Ordinationis minister est Episcopus.[4] Convenit ut Ordinatio diaconi in presbyterum fiat ab Episcopo diœcesis. Presbyteri vero in celebratione Ordinationis adstantes una cum Episcopo candidatis manus imponunt « propter communem et similem cleri spiritum ».[5]

106. Unus ex Episcopi adiutoribus, qui ad formationem candidatorum delegati fuerunt, in celebratione Ordinationis nomine Ecclesiæ collationem Ordinis postulat et ad quæstionem de dignitate candidatorum respondet. Nonnulli ex presbyteris cooperantur, Ordinatis indumenta presbyteralia imponentes. Presbyteri adstantes, in quantum fieri potest, fratres modo Ordinatos osculo salutant in signum receptionis in presbyteratum et una cum Episcopo et Ordinatis liturgiam eucharisticam concelebrant.

III

De Ordinationis celebratione

107. Convenit ut Ecclesia localis, in cuius servitium presbyteri ordinantur, ad celebrationem Ordinationis præparetur.

Candidati ipsi oratione in silentio sese ad Ordinationem præparent vacando per quinque saltem dies exercitiis spiritalibus.

[4] Cf. Conc. Vat. II, Const. dogm. de Ecclesia, *Lumen gentium*, n. 26.
[5] Hippolytus, *Traditio Apostolica*, 8.

108. Celebratio fiat in ecclesia cathedrali vel in ecclesiis illarum communitatum, e quibus unus vel plures e candidatis oriundi sunt, vel in alia ecclesia maioris momenti.

Si ordinandi sunt presbyteri cuiusdam communitatis religiosæ, Ordinatio fieri potest in ecclesia illius communitatis, in qua exercebunt suum ministerium.

109. Ordinatio fiat cum fidelium quam maxima frequentia die dominico vel festo, nisi rationes pastorales alium diem suadeant. Excludantur tamen Triduum Paschale, Feria IV Cinerum, tota Hebdomada sancta et Commemoratio omnium fidelium defunctorum.

110. Ordinatio fit intra Missarum sollemnia ritu stationali celebrata, et quidem, liturgia verbi absoluta, ante liturgiam eucharisticam.

Adhiberi potest Missa ritualis « In conferendis sacris Ordinibus », exceptis Sollemnitatibus, Dominicis Adventus, Quadragesimæ, Paschæ et diebus infra octavam Paschæ. Occurrentibus his diebus dicitur Missa de die cum suis lectionibus.

Si tamen, aliis in diebus, Missa ritualis non dicitur, una e lectionibus sumi potest ex iis, quæ in Lectionario pro Missa rituali proponuntur.

Oratio universalis omittitur, quia litaniæ eius locum tenent.

111. Dicto Evangelio, Ecclesia localis ab Episcopo petit, ut candidatos ordinet. Presbyter ad hoc deputatus Episcopo interroganti coram populo notum facit dubitationes de candidatis deesse. Candidati coram Episcopo omnibusque fidelibus voluntatem exprimunt se munus suum, iuxta mentem Christi atque Ecclesiæ sub moderatione Episcopi, exercituros esse. In litaniis omnes gratiam Dei pro candidatis implorant.

112. Per impositionem manuum Episcopi et Precem Ordinationis candidatis donum Spiritus Sancti pro munere presbyterorum confertur. Hæc autem verba ad naturam rei pertinent, atque adeo ut actus valeat exiguntur: « Da, quǽsumus, omnípotens Pater, in hos fámulos tuos presbytérii dignitátem; ínnova in viscéribus eórum Spíritum sanctitátis; accéptum a te, Deus, secúndi mériti munus obtíneant, censurámque morum exémplo suæ conversatiónis insínuent ».

Una cum Episcopo presbyteri manus imponunt candidatis, ut cooptationem in presbyterium significent.

113. Immediate post Precem Ordinationis, Ordinati stola presbyterali et casula induuntur, quo eorum ministerium abhinc in liturgia peragendum exterius manifestetur.

Hoc ministerium per alia signa adhuc fusius explicatur: nam per unctionem manuum, peculiaris presbyterorum participatio in sacerdotio Christi significatur; per traditionem autem panis et vini in manus eorum, munus celebrationi Eucharistiæ præsidendi et Christum crucifixum sequendi indicatur.

Osculo Episcopus quodammodo sigillum ponit ad acceptationem suorum cooperatorum novorum in eorum ministerium; presbyteri osculo salutant Ordinatos ad commune ministerium in Ordine suo.

114. In liturgia eucharistica Ordinati ministerium suum prima vice exercent, eam cum Episcopo aliisque membris presbyterii concelebrantes. Presbyteri modo Ordinati primum locum obtinent.

IV

De iis, quæ sunt paranda

115. Præter ea quæ ad Missæ stationalis celebrationem necessaria sunt, parentur:

a) Liber De Ordinatione;

b) casulæ pro singulis ordinandis;

c) gremiale linteum;

d) sanctum chrisma;

e) ea quæ ad manuum lotionem necessaria sunt sive pro Episcopo sive pro Ordinatis.

116. Ordinatio de more fiat ad cathedram; si autem propter participationem fidelium opus est, paretur sedes pro Episcopo ante altare vel alio opportuniore loco.

Sedes pro ordinandis sic parentur, ut actio liturgica a fidelibus bene conspici queat.

117. Episcopus et presbyteri concelebrantes sacras vestes induunt quæ sibi respective ad Missæ celebrationem requiruntur.

Ordinandi sumunt amictum, albam, cingulum et stolam diaconalem.

Presbyteri, qui manus ordinandis imponunt et forte non concelebrent, sint stolis induti super albam aut vestem talarem cum superpelliceo.

Vestes sint coloris Missæ quæ celebratur, secus coloris albi, vel vestes festivæ seu nobiliores adhibeantur.

RITUS ORDINATIONIS PRESBYTERORUM

Ritus initiales et Liturgia verbi

118. Omnibus rite dispositis, ordinatur processio per ecclesiam ad altare modo consueto. Diaconum librum Evangeliorum deferentem et alios diaconos, si adsint, sequuntur ordinandi, presbyteri concelebrantes ac denique Episcopus et paulisper retro eum duo diaconi ei assistentes. Cum ad altare pervenerint, facta debita reverentia, omnes accedunt ad loca sibi assignata.

Interim canitur antiphona ad introitum cum suo psalmo vel alius cantus aptus.

119. Ritus initiales et liturgia verbi peraguntur more consueto usque ad Evangelium inclusive.

Ordinatio

120. Deinde incipit Ordinatio presbyterorum.

Episcopus accedit, si opus est, ad sedem pro Ordinatione paratam, et fit præsentatio candidatorum.

Electio candidatorum

121. Ordinandi vocantur a diacono hoc modo:

Accédant qui ordinándi sunt presbýteri.

Et mox singulatim ab eodem nominantur; et unusquisque vocatus dicit:

Adsum,

et accedit ad Episcopum, cui reverentiam facit.

122. Omnibus coram Episcopo dispositis, presbyter ab Episcopo deputatus dicit:

Reverendíssime Pater, póstulat sancta Mater Ecclésia, ut hos fratres nostros ad onus presbytérii órdines.

Episcopus illum interrogat, dicens:

Scis illos dignos esse?

Ille respondet:

Ex interrogatióne pópuli christiáni et suffrágio virórum ad quos pértinet testíficor illos dignos esse invéntos.

Episcopus:

Auxiliánte Dómino Deo, et Salvatóre nostro Iesu Christo, elígimus hos fratres nostros in Ordinem presbytérii.

Omnes dicunt:

Deo grátias,

vel alio modo, iuxta Prænotanda generalia n. 11 statuto, electioni assentiunt.

Homilia

123. Tunc Episcopus, omnibus sedentibus, homiliam habet, in qua, initium sumens e textu lectionum quæ in liturgia verbi lectæ sunt, populum atque electos de munere presbyterorum alloquitur. De tali munere autem loqui potest his vel similibus verbis:

Fratres dilectíssimi, cum isti fílii nostri, quos inter propínquos vel amícos habétis, mox ad Ordinem presbyterórum sint provehéndi, atténte perpéndite ad quale in Ecclésia ministérium sint ascensúri.

Certe pópulus Dei sanctus totus regále sacerdótium in Christo effícitur. Attamen ipse magnus Sacérdos noster, Iesus Christus, discípulos quosdam elégit, qui in Ecclésia sacerdotáli offício públice pro homínibus ipsíus nómine fungeréntur. Ipse enim, missus a Patre, Apóstolos misit in mundum, ut per ipsos eorúmque successóres Epíscopos, munus suum Magístri, Sacerdótis et Pastóris continénter perfíceret. Ordinis autem Episcopórum presbýteri cooperatóres constituúntur, qui cum eis múnere sacerdotáli coniúncti ad pópuli Dei servítium vocántur.

Isti fratres, re matúre perpénsa, ad sacerdótium in Ordine presbyterórum sunt ordinándi, ut Christo Magístro, Sacerdóti et Pastóri insérviant, cuius ministério corpus eius, id est Ecclésia, in pópulum Dei, in templum sanctum ædificátur et crescit.

Christo summo et ætérno Sacerdóti configurándi, sacerdótio Episcopórum coniungéndi, in veros Novi Testaménti sacerdótes consecrabúntur ad Evangélium prædicándum, pópulum Dei pascéndum cultúmque divínum in domínico præsértim sacrifício celebrándum.

Vos autem, fílii dilectíssimi, ad Ordinem presbytérii provehéndi, sacro docéndi múnere in Christo Magístro pro vestra parte fungémini. Verbum Dei ómnibus dispensáte, quod ipsi cum gáudio accepístis. In lege Dómini meditántes, vidéte ut quod legéritis credátis, quod credidéritis doceátis, quod docuéritis imitémini.

Sit ergo doctrína vestra pábulum pópulo Dei, sit odor vitæ vestræ delectaméntum Christi fidélibus, ut verbo et exémplo ædificétis domum, id est Ecclésiam Dei.

Múnere item sanctificándi in Christo fungémini. Ministério enim vestro sacrifícium spirituále fidélium perficiétur, Christi sacrifício coniúnctum, quod una cum iis per manus vestras super altáre incruénter in celebratióne mysteriórum offerétur. Agnóscite ergo quod ágitis, imitámini quod tractátis, quátenus mortis et resurrectiónis Dómini mystérium celebrántes, membra vestra a vítiis ómnibus mortificáre et in novitáte vitæ ambuláre studeátis.

Baptísmo hómines Dei pópulo aggregántes, Pæniténtiæ sacraménto peccáta in nómine Christi et Ecclésiæ dimitténtes, óleo sancto infírmos sublevántes, ritus sacros celebrántes, laudes cum gratiárum actióne et précibus per horas diéi offeréntes non tantum pro pópulo Dei, sed et pro mundo univérso, mementóte vos ex homínibus esse assúmptos et pro homínibus constitútos in iis quæ sunt ad Deum. Munus

ergo Christi Sacerdótis perénni gáudio in vera caritáte expléte, non quæ vestra sunt, sed quæ Iesu Christi quæréntes.

Múnere dénique Christi Cápitis et Pastóris pro vestra parte fungéntes, fílii caríssimi, Epíscopo iuncti et súbditi, fidéles in unam famíliam adunáre studéte, ut eos per Christum in Spíritu Sancto ad Deum Patrem addúcere valeátis. Boni Pastóris exémplum ante óculos semper habéte, qui non venit ministrári, sed ministráre, quique venit quærere et salvum fácere quod períerat.

Promissio electorum

124. Post homiliam electi soli surgunt et stant coram Episcopo, qui eos, una simul, interrogat his verbis:

Fílii caríssimi, priúsquam ad Ordinem presbytérii accedátis, vos opórtet coram pópulo propósitum de suscipiéndo múnere profitéri.

Vultis munus sacerdótii in gradu presbyterórum ut probi Episcopórum Ordinis cooperatóres, in pascéndo grege domínico, duce Spíritu Sancto, indesinénter explére?

Electi omnes simul respondent:

Volo.

Episcopus:

Vultis ministérium verbi, in prædicatióne Evangélii et expositióne fídei cathólicæ, digne et sapiénter explére?

Electi:

Volo.

Episcopus:

Vultis mystéria Christi ad laudem Dei et sanctificatiónem pópuli christiáni, secúndum Ecclésiæ traditiónem, præsér-

tim in Eucharístiæ sacrifício et sacraménto reconciliatiónis, pie et fidéliter celebráre?

Electi:

Volo.

Episcopus:

Vultis nobíscum misericórdiam divínam pro pópulo vobis commísso imploráre orándi mandáto indesinénter instántes?

Electi:

Volo.

Episcopus:

Vultis Christo summo Sacerdóti, qui seípsum pro nobis hóstiam puram óbtulit Patri, árctius in dies coniúngi et cum eo vos ipsos, pro salúte hóminum, Deo consecráre?

Electi:

Volo, Deo auxiliánte.

125. Deinde unusquisque electorum accedit ad Episcopum et, coram eo genuflexus, ponit manus suas iunctas inter manus Episcopi, nisi iuxta Prænotanda generalia n. 11 aliter statutum est.

Episcopus interrogat electum, dicens, si eius est Ordinarius:

Promíttis mihi et successóribus meis reveréntiam et obœdiéntiam?

Electus:

Promítto.

Si vero Episcopus non est eius Ordinarius, dicit:

Promíttis Ordinário tuo reveréntiam et obœdiéntiam?

Electus:

Promítto.

Si vero electus est religiosus, Episcopus dicit:

Promíttis Epíscopo diœcesáno necnon legítimo Superióri tuo reveréntiam et obœdiéntiam?

Electus:

Promítto.

Episcopus semper concludit:


Qui cœpit in te opus bonum, Deus, ipse perfíciat.

Supplicatio litanica

126. Deinde omnes surgunt. Episcopus, deposita mitra, stans, manibus iunctis, versus ad populum dicit invitatorium:








Orémus, dilectíssimi, Deum Patrem omnipoténtem,
ut super hos fámulos suos,
quos in presbytérii munus elégit,
cæléstia dona multíplicet.

127. Tunc electi procumbunt et canuntur litaniæ, omnibus respondentibus; quod diebus dominicis necnon tempore paschali fit omnibus stantibus, ceteris autem diebus flexis genibus. Quo in casu diaconus admonet:



Flectámus génu- a.

In litaniis addi possunt suis locis aliqua nomina Sanctorum, ex. gr. Patroni, Titularis ecclesiæ, Fundatoris, Patroni eorum qui Ordinationem recipiunt, aut aliquæ invocationes magis aptæ singulis circumstantiis.

Sanctorum cognomina, inter parentheses posita, opportune omittuntur, quando litaniæ latina lingua canuntur.

Kýrie, eléison.
Kýrie, eléison.

Christe, eléison.
Christe, eléison.


Kýrie, eléison.
Kýrie, eléison.

Sancta María, Mater Dei,	ora pro nobis.
Sancte Míchael,	ora pro nobis.
Sancti Angeli Dei,	oráte pro nobis.
Sancte Ioánnes Baptísta,	ora pro nobis.
Sancte Ioseph,	ora pro nobis.
Sancti Petre et Paule,	oráte pro nobis.
Sancte Andréa,	ora pro nobis.
Sancte Ioánnes,	ora pro nobis.
Sancta María Magdaléna,	ora pro nobis.
Sancte Stéphane,	ora pro nobis.
Sancte Ignáti Antiochéne,	ora pro nobis.
Sancte Laurénti,	ora pro nobis.
Sanctæ Perpétua et Felícitas,	oráte pro nobis.


Sancta Agnes, ora pro nobis.
Sancte Gregóri, ora pro nobis.
Sancte Augustíne, ora pro nobis.
Sancte Athanási, ora pro nobis.
Sancte Basíli, ora pro nobis.
Sancte Martíne, ora pro nobis.
Sancte Benedícte, ora pro nobis.
Sancti Francísce et Domínice, oráte pro nobis.
Sancte Francísce (Xavier), ora pro nobis.
Sancte Ioánnes María (Vianney), ora pro nobis.
Sancta Catharína (Senensis), ora pro nobis.
Sancta Terésia a Iesu, ora pro nobis.
Omnes Sancti et Sanctæ Dei, oráte pro nobis.
Propítius esto, líbera nos, Dómine.
Ab omni malo, líbera nos, Dómine.
Ab omni peccáto, líbera nos, Dómine.
A morte perpétua, líbera nos, Dómine.
Per incarnatiónem tuam, líbera nos, Dómine.
Per mortem et resurrectiónem tuam, líbera nos, Dómine.
Per effusiónem Spíritus Sancti, líbera nos, Dómine.
Peccatóres, te rogámus, audi nos.
Ut Ecclésiam tuam sanctam régere et conserváre dignéris, te rogámus, audi nos.
Ut domnum apostólicum et omnes ecclesiásticos órdines in sancta religióne conserváre dignéris, te rogámus, audi nos.
Ut hos eléctos (hunc eléctum) benedícere dignéris, te rogámus, audi nos.
Ut hos eléctos (hunc eléctum) benedícere et sanctificáre dignéris, te rogámus, audi nos.
Ut hos eléctos (hunc eléctum) benedícere et sanctificáre et consecráre dignéris, te rogámus, audi nos.

Ut operários míttere dignéris, te rogámus, audi nos.
Ut cunctis pópulis pacem et veram concórdiam donáre dignéris, te rogámus, audi nos.
Ut ómnibus in tribulatióne versántibus misericórdiam tuam largíri dignéris, te rogámus, audi nos.
Ut nosmetípsos in tuo sancto servítio confortáre et conserváre dignéris, te rogámus, audi nos.
Iesu, Fili Dei vivi, te rogámus, audi nos.
Christe, audi nos.
Christe, audi nos.
Christe, exáudi nos.
Christe, exáudi nos.


128. Litaniarum cantu expleto, Episcopus stans, manibus extensis, dicit:




Exáudi nos, quǽsumus, Dómine De- us noster, et su-per




hos fámu-los tu- os bene-dicti- ónem Sancti Spí- ri-tus et
(*hunc fámu-lum tuum*)




grá- ti- æ sacerdo- tá- lis effúnde virtú-tem: ut, quos tu-æ
(*quem*)




pi- e-tá- tis aspéctibus offé- rimus consecrándos, perpétu- a
(*consecrándum*)






Omnes:



Exáudi nos, quǽsumus, Dómine Deus noster,
ut super hos fámulos tuos benedictiónem Sancti Spíritus
et grátiæ sacerdotális effúnde virtútem:
ut, quos tuæ pietátis aspéctibus offérimus consecrándos,
perpétua múneris tui largitáte prosequáris.
Per Christum Dóminum nostrum.

Omnes:
Amen.

Diaconus, si casus fert, admonet:



Et omnes surgunt.

Impositio manuum et Prex Ordinationis


129. Electi surgunt; unusquisque eorum accedit ad Episcopum stantem ante sedem cum mitra et coram eo genua flectit.

130. Episcopus singulis electis imponit manus super caput, nihil dicens.

Postquam Episcopus manus imposuerit, omnes presbyteri adstantes, stolis induti, singulis electis manus imponunt, nihil dicentes.

Post impositionem autem manuum presbyteri circa Episcopum manent usquedum Prex Ordinationis finiatur, ita tamen ut actio a fidelibus bene conspici queat.


131. Electis ante ipsum genuflexis, Episcopus, dimissa mitra, dicit, extensis manibus, Precem Ordinationis:




Adésto, Dómine, sancte Pa-ter, omnípo-tens æ- térne De-




us, humánæ digni-tá- tis auctor et distri-bú-tor ómni- um




gra- ti- á-rum, per quem pro-fí-ci- unt u-nivérsa, per quem




cuncta firmántur, qui ad efformándum pópu-lum sacerdo-tá-





lem minístros Christi Fí- li- i tu- i, virtúte Spí-ri-tus Sancti,





in e- ódem divérsis ordí-ni-bus dispó-nis. Iam in pri- ó-


re Testaménto offí-ci- a sacraméntis mýsti- cis insti-tú-ta


cre-vé-runt: ut cum Mó- y-sen et A- a-ron re-géndo et sanc-



ti- fi-cándo pópu-lo præ-fe-císses, ad e- órum socie-tá-tis et



ópe- ris adiuméntum sequéntis órdi-nis et digni-tá-tis vi-


ros e- lí-ge-res. Sic in e-rémo, per septu- a-gínta vi-ró-rum


prudénti- um mentes Mó- y-si spí- ri-tum propa-gásti; quibus


ille adiutó-ribus usus pó-pu-lum tu- um fa-cí- li- us guber-



ná-vit. Sic in fí- li- os A- aron pa-térnæ ple-ni-tú-di-nis a-




bundánti- am transfu-dísti; ut ad sacri-fí- ci- a tabernácu-




li, quæ umbra e-rant fu- turórum bonó-rum, mé- ri-tum suf-



fí-ce-ret se-cúndum Le-gem sacerdótum. No-víssime ve-ro,




Pa-ter sancte, Fí- li- um tu- um in mundum mi- sísti, A-




pósto-lum et Pontí- fi-cem confessi- ónis nostræ Iesum. Ip-




se ti-bi per Spí- ri-tum Sanctum semet- ípsum óbtu- lit im-




macu- lá-tum, et Apósto-los su- os, sancti- fi- cá-tos in ve- ri-




tá-te, missi- ónis su- æ partí -cipes effé- cit; quibus cómi-tes




addi-dí-sti ad opus sa-lú-tis per to-tum mundum nunti-



ándum atque ex-ercéndum.




Nunc ét- i- am infirmi- tá- ti nostræ, Dómine, quǽsumus, hos (*hunc*




adiutó-res largí- re quibus in apostó- lico sa-cerdó- ti- o
adiutó-rem) (*quo*)




fungéndo indi-gémus.




Da, quǽsumus, omnípo-tens Pa-ter, in hos fámu-los tu-os
(*hunc fámu-lum tu-um*)




presby- té- ri- i digni- tá-tem; ínnova in viscé-ri- bus e- ó- (*e-*




rum Spí- ri- tum sancti- tá- tis; accéptum a te, De- us, secún-
ius)




di mé- ri- ti munus obtí-ne- ant, censu-rámque morum exém-
(ob-tíne- at)



plo su- æ conversa- ti- ó-nis insí-nu- ent.
(insí-nu- et)




Sint probi co- ope-ra-tó-res Ordi-nis nostri, ut verba E-
(Sit probus co- ope-rá-tor)




vangé- li- i, e- ó-rum præ-di-ca- ti- óne in córdibus hómi-
(e- ius)




num, Sancti Spí- ri-tus grá- ti- a, fructí- fi-cent et usque ad




extrémum terræ pervé-ni- ant. Sint no-bíscum fi-dé-les di-
(Sit) (fi-dé-lis di-




spensa-tó-res myste- ri- ó-rum tu- ó- rum, ut pópu- lus tu- us
spensá-tor)




per la-vácrum rege-ne-ra- ti- ó-nis inno-vé-tur et de altá-ri




tu- o re- fi- ci- á-tur, utque re-conci- li- éntur pecca-tó-res




et suble-véntur infírmi. Sint nobis iuncti, Dómi-ne, ad
(*Sit*) (*iunctus*)



tu- am depre-cándam mi-se- ri-córdi- am pro pópu-lo ipsis
(*ipsi*)





commísso atque pro u-ni-vérso mundo. Sic na-ti- ónum



ple-ni-túdo, in Christo congre-gá-ta, in unum pópu-lum










Omnes:



Adésto, Dómine, sancte Pater,
omnípotens ætérne Deus,
humánæ dignitátis auctor
et distribútor ómnium gratiárum,
per quem profíciunt univérsa,
per quem cuncta firmántur,
qui ad efformándum pópulum sacerdotálem
minístros Christi Fílii tui,
virtúte Spíritus Sancti,
in eódem divérsis ordínibus dispónis.

Iam in prióre Testaménto
offícia sacraméntis mýsticis institúta crevérunt:
ut cum Móysen et Aaron
regéndo et sanctificándo pópulo præfecísses,
ad eórum societátis et óperis adiuméntum
sequéntis órdinis et dignitátis viros elígeres.

Sic in erémo,
per septuagínta virórum prudéntium mentes
Móysi spíritum propagásti;
quibus ille adiutóribus usus
pópulum tuum facílius gubernávit.

Sic in fílios Aaron
patérnæ plenitúdinis abundántiam transfudísti,
ut ad sacrifícia tabernáculi,
quæ umbra erant futurórum bonórum,
méritum suffíceret secúndum Legem sacerdótum.

Novíssime vero, Pater sancte,
Fílium tuum in mundum misísti,
Apóstolum et Pontíficem confessiónis nostræ Iesum.

Ipse tibi per Spíritum Sanctum
semetípsum óbtulit immaculátum,
et Apóstolos suos, sanctificátos in veritáte,
missiónis suæ partícipes effécit;
quibus cómites addidísti
ad opus salútis per totum mundum
nuntiándum atque exercéndum.

Nunc étiam infirmitáti nostræ, Dómine, quǽsumus,
hos adiutóres largíre
quibus in apostólico sacerdótio fungéndo indigémus.

Da, quǽsumus, omnípotens Pater,
in hos fámulos tuos presbytérii dignitátem;
ínnova in viscéribus eórum
Spíritum sanctitátis;
accéptum a te, Deus,
secúndi mériti munus obtíneant,
censurámque morum
exémplo suæ conversatiónis insínuent.

Sint probi cooperatóres Ordinis nostri,
ut verba Evangélii,
eórum prædicatióne
in córdibus hóminum,
Sancti Spíritus grátia, fructíficent
et usque ad extrémum terræ pervéniant.

Sint nobíscum
fidéles dispensatóres mysteriórum tuórum,
ut pópulus tuus
per lavácrum regeneratiónis innovétur
et de altári tuo reficiátur,
utque reconciliéntur peccatóres
et sublevéntur infírmi.

Sint nobis iuncti, Dómine,
ad tuam deprecándam misericórdiam
pro pópulo ipsis commísso
atque pro univérso mundo.

Sic natiónum plenitúdo, in Christo congregáta,
in unum pópulum tuum,
in Regno tuo consummándum,
convertátur.

Per Dóminum nostrum Iesum Christum, Fílium tuum,
qui tecum vivit et regnat
in unitáte Spíritus Sancti, Deus,
per ómnia sǽcula sæculórum.

Omnes:

Amen.

Unctio manuum et traditio panis et vini


132. Finita Prece Ordinationis, omnes sedent. Episcopus accipit mitram. Ordinati surgunt. Presbyteri adstantes revertuntur ad sua loca; aliqui tamen ex illis unicuique Ordinato disponunt stolam more presbyterali et eum induunt casula.

133. Postea Episcopus assumit gremiale linteum et, populo pro opportunitate commonefacto, inungit sacro chrismate palmas manuum uniuscuiusque Ordinati ante se genuflexi, dicens:


Dóminus Iesus Christus,
quem Pater unxit Spíritu Sancto et virtúte,
te custódiat
ad pópulum christiánum sanctificándum
et ad sacrifícium Deo offeréndum.

Deinde Episcopus et Ordinati manus lavant.


134. Dum Ordinati induuntur stola et casula, et dum Episcopus illis manus inungit, canitur antiphona:



[I f] **Sacérdos in æ-térnum * Christus Dómi-nus se-cun-**



dum órdi-nem Melchí- sedech, panem et vi-num † óbtu-lit.



T. P. † óbtu- lit, al-le- lú- ia. E u o u a e.

cum Psalmo 109 (110), vel alius aptus cantus eiusdem generis qui conveniat antiphonæ, præsertim quando Psalmus 109 (110) tamquam psalmus responsorius in liturgia verbi adhibitus fuerit.

Psalmus 109 (110), 1-5. 7

Dixit Dóminus Dómino meo: *
  « Sede a dextris meis,
donec ponam inimícos tuos *
  scabéllum pedum tuórum ».

(Repetitur antiphona)

Virgam poténtiæ tuæ emíttet Dóminus ex Sion: *
  domináre in médio inimicórum tuórum.
Tecum principátus in die virtútis tuæ, †
  in splendóribus sanctis, *
  ex útero ante lucíferum génui te.

(Repetitur antiphona)

Iurávit Dóminus et non pænitébit eum: *
« Tu es sacérdos in ætérnum
secúndum órdinem Melchísedech ».

(Repetitur antiphona)

Dóminus a dextris tuis, *
conquassábit in die iræ suæ reges.
De torrénte in via bibet, *
proptérea exaltábit caput.

(Repetitur antiphona)

Non dicitur Glória Patri. Psalmus tamen abrumpitur et repetitur antiphona, cum omnes Ordinati manuum unctionem receperunt.

135. Deinde fideles panem super patenam et calicem, vino et aqua in eum inmissis, pro Missæ celebratione afferunt. Diaconus ea recipit et affert Episcopo, qui ipsa unicuique Ordinato, ante se genuflexo, in manus tradit, dicens:


Accipe oblatiónem plebis sanctæ
Deo offeréndam.
Agnósce quod ages,
imitáre quod tractábis,
et vitam tuam mystério domínicæ crucis confórma.

136. Demum Episcopus singulis Ordinatis dat osculum, dicens:
Pax tibi.


Ordinatus respondet:
Et cum spíritu tuo.

Similiter faciunt omnes vel saltem nonnulli presbyteri præsentes.


137. Interim cani potest responsorium:




[VIII] Iam non dicam * vos servos, sed amí- cos




me- os, qui- a ómni- a cogno- ví- stis, quæ o-



pe- rá-tus sum in mé-di- o ve- stri, (alle- lú-




ia). * Accí- pi- te Spí- ri-tum Sanctum in vo-



bis Pa-rá- cli- tum. † Il- le est, quem Pa-




ter mit- tet ‡ vo- bis, (alle- lú- ia).





Temp. Quadr. ‡ vo- bis. Vos amí-ci me- i e-stis,




si fe-cé- ri- tis quæ e-go præ-cí- pi- o vo-









Vel antiphona:







cum Psalmo 99 (100), vel alius aptus cantus eiusdem generis qui conveniat responsorio vel antiphonæ, præsertim quando Psalmus 99 (100) tamquam psalmus responsorius in liturgia verbi adhibitus fuerit.

Psalmus 99 (100)

Iubiláte Dómino, omnis terra, *
servíte Dómino in lætítia:
Introíte in conspéctu eius *
in exsultatióne.

(Repetitur antiphona)

Scitóte quóniam Dóminus ipse est Deus; †
ipse fecit nos, et ipsíus sumus, *
pópulus eius et oves páscuæ eius.
Introíte portas eius in confessióne, †
átria eius in hymnis, *
confitémini illi, benedícite nómini eius.

(Repetitur antiphona)

Quóniam suávis est Dóminus; †
in ætérnum misericórdia eius, *
et usque in generatiónem et generatiónem
véritas eius.

(Repetitur antiphona)

Non dicitur Glória Patri. Psalmus tamen abrumpitur et repetitur antiphona, cum Episcopus et presbyteri osculum pacis Ordinatis dederunt.

138. Missa prosequitur more solito. Symbolum dicitur secundum rubricas; oratio universalis omittitur.

Liturgia eucharistica

139. Liturgia eucharistica concelebratur more solito; attamen omittitur præparatio calicis.

140. In Prece eucharistica, Episcopus vel unus ex presbyteris concelebrantibus mentionem presbyterorum modo ordinatorum facit secundum has formulas:

a) In Prece eucharistica I, Episcopus dicit Hanc ígitur proprium:

Hanc ígitur oblatiónem servitútis nostræ,
sed et cunctæ famíliæ tuæ,
quam tibi offérimus étiam pro fámulis tuis,
quos ad presbyterátus Ordinem promovére dignátus es,
quǽsumus, Dómine, ut placátus accípias,
et propítius in eis tua dona custódias,
ut, quod divíno múnere consecúti sunt,
divínis efféctibus exsequántur.
(Per Christum Dóminum nostrum. Amen.)

b) In intercessionibus Precis eucharisticæ II, post verba ... congregémur in unum dicitur:

Recordáre, Dómine, Ecclésiæ tuæ toto orbe diffúsæ,
ut eam in caritáte perfícias
una cum Papa nostro N. et Epíscopo nostro N.:
Recordáre quoque istórum famulórum tuórum,
quos hódie presbýteros Ecclésiæ providére voluísti,
et univérsi cleri.
Meménto étiam fratrum nostrórum ...

c) In intercessionibus Precis eucharisticæ III, post verba ... ad totíus mundi pacem atque salútem dicitur:

Ecclésiam tuam, peregrinántem in terra,
in fide et caritáte firmáre dignéris
cum fámulo tuo Papa nostro N. et Epíscopo nostro N.,
cum episcopáli Ordine et his fámulis tuis,
qui hódie presbýteri Ecclésiæ ordináti sunt,
et univérso clero,
et omni pópulo acquisitiónis tuæ.
Votis huius famíliæ ...

d) In intercessionibus Precis eucharisticæ IV, post verba ... ad laudem glóriæ tuæ dicitur:

Nunc ergo, Dómine, ómnium recordáre,
pro quibus tibi hanc oblatiónem offérimus:

in primis fámuli tui, Papæ nostri N.,
Episcopi nostri N.,
et Episcopórum Ordinis univérsi,
et istórum famulórum tuórum.
quos hódie ad pópuli tui servítium presbyterále
elígere dignátus es,
sed et totíus cleri;
recordáre quoque offeréntium
et circumstántium,
et cuncti pópuli tui,
et ómnium, qui te quærunt corde sincéro.
Meménto étiam illórum ...

141. Parentes et propinqui Ordinatorum Communionem sub utraque specie recipere possunt.

142. Distributione Communionis expleta, cani potest cantus gratiarum actionis. Cantum sequitur oratio post Communionem.

Ritus conclusionis

143. Loco benedictionis consuetæ dici potest benedictio quæ sequitur. Diaconus dicere potest invitatorium:

Inclináte vos ad benedictiónem.

vel aliis verbis expressum.

Deinde Episcopus, manibus super Ordinatos et populum extensis, profert benedictionem:

Deus, Ecclésiæ institútor et rector,
sua vos constánter tueátur grátia,
ut presbytérii múnera fidéli ánimo persolvátis.

Omnes:

Amen.

Episcopus:

Ipse divínæ vos fáciat caritátis et veritátis
in mundo servos et testes,
atque reconciliatiónis minístros fidéles.

Omnes:

Amen.

Episcopus:

Et vos fáciat veros pastóres,
qui fidélibus tríbuant panem vivum et verbum vitæ,
ut magis crescant in unitáte córporis Christi.

Omnes:

Amen.

Episcopus:

Et vos omnes, qui hic simul adéstis,
benedícat omnípotens Deus,
Pater, ✠ et Fílius, ✠ et Spíritus ✠ Sanctus.

Omnes:

Amen.

144. Data benedictione et populo a diacono dimisso, fit processio ad secretarium more consueto.

RITUS ORDINATIONIS PRESBYTERORUM UNI TANTUM CONFERENDÆ

145. Quæ supra in Prænotandis, nn. 107-117 exponuntur valent etiam de Ritu Ordinationis presbyterorum uni tantum conferendæ.

Ritus initiales et Liturgia verbi

146. Omnibus rite dispositis, ordinatur processio per ecclesiam ad altare modo consueto. Diaconum librum Evangeliorum deferentem et alios diaconos, si adsint, sequuntur ordinandus, presbyteri concelebrantes ac denique Episcopus et paulisper retro eum duo diaconi ei assistentes. Cum ad altare pervenerint, facta debita reverentia, omnes accedunt ad loca sibi assignata.

Interim canitur antiphona ad introïtum cum suo psalmo vel alius cantus aptus.

147. Ritus initiales et liturgia verbi peraguntur more consueto usque ad Evangelium inclusive.

Ordinatio

148. Deinde incipit Ordinatio presbyteri.

Episcopus accedit, si opus est, ad sedem pro Ordinatione paratam, et fit præsentatio candidati.

Electio candidati

149. Ordinandus vocatur a diacono hoc modo:

Accédat qui ordinándus est présbyter.

Et mox ab eodem nominatur; et vocatus dicit:

Adsum,

et accedit ad Episcopum, cui reverentiam facit.

150. Ordinando coram Episcopo stante, presbyter ab Episcopo deputatus dicit:

Reverendíssime Pater, póstulat sancta Mater Ecclésia, ut hunc fratrem nostrum ad onus presbytérii órdines.

Episcopus illum interrogat, dicens:

Scis illum dignum esse?

Ille respondet:

Ex interrogatióne pópuli christiáni et suffrágio virórum ad quos pértinet testíficor illum dignum esse invéntum.

Episcopus:

Auxiliánte Dómino Deo, et Salvatóre nostro Iesu Christo, elígimus hunc fratrem nostrum in Ordinem presbytérii.

Omnes dicunt:

Deo grátias,

vel alio modo, iuxta Prænotanda generalia n. 11 statuto, electioni assentiunt.

Homilia

151. Tunc Episcopus, omnibus sedentibus, homiliam habet, in qua, initium sumens e textu lectionum quæ in liturgia verbi lectæ sunt, populum atque electum de munere presbyterorum alloquitur. De tali munere autem loqui potest his vel similibus verbis:

Fratres dilectíssimi, cum iste fílius noster, quem inter propínquos vel amícos habétis, mox ad Ordinem presbyterórum sit provehéndus, atténte perpéndite ad quale in Ecclésia ministérium sit ascensúrus.

Certe pópulus Dei sanctus totus regále sacerdótium in Christo effícitur. Attamen ipse magnus Sacérdos noster, Iesus Christus, discípulos quosdam elégit, qui in Ecclésia sacerdotáli offício públice pro homínibus ipsíus nómine fungeréntur. Ipse enim, missus a Patre, Apóstolos misit in mundum, ut per ipsos eorúmque successóres Epíscopos, munus

suum Magístri, Sacerdótis et Pastóris continénter perfíceret. Ordinis autem Episcopórum presbýteri cooperatóres constituúntur, qui cum eis múnere sacerdotáli coniúncti ad pópuli Dei servítium vocántur.

Iste frater, re matúre perpénsa, ad sacerdótium in Ordine presbyterórum est ordinándus, ut Christo Magístro, Sacerdóti et Pastóri insérviat, cuius ministério corpus eius, id est Ecclésia, in pópulum Dei, in templum sanctum ædificátur et crescit.

Christo summo et ætérno Sacerdóti configurándus, sacerdótio Episcopórum coniungéndus, in verum Novi Testaménti sacerdótem consecrábitur ad Evangélium prædicándum, pópulum Dei pascéndum cultúmque divínum in domínico præsértim sacrifício celebrándum.

Tu autem, fili dilectíssime, ad Ordinem presbytérii provehéndus, sacro docéndi múnere in Christo Magístro pro tua parte fungéris. Verbum Dei ómnibus dispénsa, quod ipse cum gáudio accepísti. In lege Dómini méditans, vide ut quod légeris credas, quod credíderis dóceas, quod docúeris imitéris.

Sit ergo doctrína tua pábulum pópulo Dei, sit odor vitæ tuæ delectaméntum Christi fidélibus, ut verbo et exémplo ædífices domum, id est Ecclésiam Dei.

Múnere item sanctificándi in Christo fungéris. Ministério enim tuo sacrifícium spirituále fidélium perficiétur, Christi sacrifício coniúnctum, quod una cum iis per manus tuas super altáre incruénter in celebratióne mysteriórum offerétur. Agnósce ergo quod agis, imitáre quod tractas, quátenus mortis et resurrectiónis Dómini mystérium célebrans, membra tua a vítiis ómnibus mortificáre et in novitáte vitæ ambuláre stúdeas.

Baptísmo hómines Dei pópulo ággregans, Pæniténtiæ sacraménto peccáta in nómine Christi et Ecclésiæ dimíttens, óleo sancto infírmos súblevans, ritus sacros célebrans, laudes

cum gratiárum actióne et précibus per horas diéi ófferens non tantum pro pópulo Dei, sed et pro mundo univérso, memíneris te ex homínibus esse assúmptum et pro homínibus constitútum in iis quæ sunt ad Deum. Munus ergo Christi Sacerdótis perénni gáudio in vera caritáte exple, non quæ tua sunt, sed quæ Iesu Christi quærens.

Múnere dénique Christi Cápitis et Pastóris pro tua parte fungens, fili caríssime, Epíscopo iunctus et súbditus, fidéles in unam famíliam adunáre stude, ut eos per Christum in Spíritu Sancto ad Deum Patrem addúcere váleas. Boni Pastóris exémplum ante óculos semper habe, qui non venit ministrári, sed ministráre, quique venit quǽrere et salvum fácere quod períerat.

Promissio electi

152. Post homiliam electus solus surgit et stat coram Episcopo, qui eum interrogat his verbis:

Fili caríssime, priúsquam ad Ordinem presbytérii accédas, te opórtet coram pópulo propósitum de suscipiéndo múnere profitéri.

Vis munus sacerdótii in gradu presbyterórum ut probus Episcopórum Ordinis cooperátor, in pascéndo grege domínico, duce Spíritu Sancto, indesinénter explére?

Electus respondet:

Volo.

Episcopus:

Vis ministérium verbi, in prædicatióne Evangélii et expositióne fídei cathólicæ, digne et sapiénter explére?

Electus:

Volo.

Episcopus:

Vis mystéria Christi ad laudem Dei et sanctificatiónem pópuli christiáni, secúndum Ecclésiæ traditiónem, præsértim in Eucharístiæ sacrifício et sacraménto reconciliatiónis, pie et fidéliter celebráre?

Electus:

Volo.

Episcopus:

Vis nobíscum misericórdiam divínam pro pópulo tibi commísso imploráre orándi mandáto indesinénter instans?

Electus:

Volo.

Episcopus:

Vis Christo summo Sacerdóti, qui seípsum pro nobis hóstiam puram óbtulit Patri, árctius in dies coniúngi et cum eo te ipsum, pro salúte hóminum, Deo consecráre?

Electus:

Volo, Deo auxiliánte.

153. Deinde electus accedit ad Episcopum et, coram eo genuflexus, ponit manus suas iunctas inter manus Episcopi, nisi iuxta Prænotanda generalia n. 11 aliter statutum est.

Episcopus interrogat electum, dicens, si eius est Ordinarius:

Promíttis mihi et successóribus meis reveréntiam et obœdiéntiam?

Electus:

Promítto.

Si vero Episcopus non est eius Ordinarius, dicit:

Promíttis Ordinário tuo reveréntiam et obœdiéntiam?

Electus:

Promítto.

Si vero electus est religiosus, Episcopus dicit:

Promíttis Epíscopo diœcesáno necnon legítimo Superióri tuo reveréntiam et obœdiéntiam?

Electus:

Promítto.

Episcopus semper concludit:

Qui cœpit in te opus bonum, Deus, ipse perfíciat.

Supplicatio litanica

154. Deinde omnes surgunt. Episcopus, deposita mitra, stans, manibus iunctis, versus ad populum dicit invitatorium (pro cantu, cf. n. 126, mutato tamen numero plurali):

Orémus, dilectíssimi, Deum Patrem omnipoténtem,
ut super hunc fámulum suum,
quem in presbytérii munus elégit,
cæléstia dona multíplicet.

155. Tunc electus procumbit et canuntur litaniæ, omnibus respondentibus; quod diebus dominicis necnon tempore paschali fit omnibus stantibus, ceteris autem diebus flexis genibus. Quo in casu diaconus admonet:

Flectámus génua.

Cantores incipiunt litanias, cf. supra n. 127, invocationes tamen super electum dicuntur numero singulari.

156. Litaniarum cantu expleto, Episcopus stans, manibus extensis, dicit (pro cantu, cf. n. 128, mutato tamen numero plurali):

Exáudi nos, quǽsumus, Dómine Deus noster,
et super hunc fámulum tuum benedictiónem Sancti Spíritus
et grátiæ sacerdotális effúnde virtútem:

ut, quem tuæ pietátis aspéctibus offérimus consecrándum,
perpétua múneris tui largitáte prosequáris.
Per Christum Dóminum nostrum.

Omnes:

Amen.

Diaconus, si casus fert, admonet:

Leváte.

Et omnes surgunt.

Impositio manuum et Prex Ordinationis

157. Electus surgit; accedit ad Episcopum stantem ante sedem cum mitra et coram eo genua flectit.

158. Episcopus ei imponit manus super caput, nihil dicens.

Postquam Episcopus manus imposuerit, omnes presbyteri adstantes, stolis induti, electo manus imponunt, nihil dicentes. Post impositionem autem manuum presbyteri circa Episcopum manent usquedum Prex Ordinationis finiatur, ita tamen ut actio a fidelibus bene conspici queat.

159. Electo ante ipsum genuflexo, Episcopus, dimissa mitra, dicit (pro cantu, cf. n. 131, mutato tamen numero plurali), extensis manibus, Precem Ordinationis:

Adésto, Dómine, sancte Pater,
omnípotens ætérne Deus,
humánæ dignitátis auctor
et distribútor ómnium gratiárum,
per quem profíciunt univérsa,
per quem cuncta firmántur,
qui ad efformándum pópulum sacerdotálem
minístros Christi Fílii tui,
virtúte Spíritus Sancti,
in eódem divérsis ordínibus dispónis.

Iam in prióre Testaménto
offícia sacraméntis mýsticis institúta crevérunt:
ut cum Móysen et Aaron
regéndo et sanctificándo pópulo præfecísses,
ad eórum societátis et óperis adiuméntum
sequéntis órdinis et dignitátis viros elígeres.

Sic in erémo,
per septuagínta virórum prudéntium mentes
Móysi spíritum propagásti;
quibus ille adiutóribus usus
pópulum tuum facílius gubernávit.

Sic in fílios Aaron
patérnæ plenitúdinis abundántiam transfudísti,
ut ad sacrifícia tabernáculi,
quæ umbra erant futurórum bonórum,
méritum sufficeret secúndum Legem sacerdótum.

Novíssime vero, Pater sancte,
Fílium tuum in mundum misísti,
Apóstolum et Pontíficem confessiónis nostræ Iesum.

Ipse tibi per Spíritum Sanctum
semetípsum óbtulit immaculátum,
et Apóstolos suos, sanctificátos in veritáte,
missiónis suæ partícipes effécit;
quibus cómites addidísti
ad opus salútis per totum mundum
nuntiándum atque exercéndum.

Nunc étiam infirmitáti nostræ, Dómine, quǽsumus,
hunc adiutórem largíre
quo in apostólico sacerdótio fungéndo indigémus.

Da, quǽsumus, omnípotens Pater,
in hunc fámulum tuum presbytérii dignitátem;
ínnova in viscéribus eius
Spíritum sanctitátis;
accéptum a te, Deus,
secúndi mériti munus obtíneat,
censurámque morum
exémplo suæ conversatiónis insínuet.

Sit probus cooperátor Ordinis nostri,
ut verba Evangélii,
eius prædicatióne
in córdibus hóminum,
Sancti Spíritus grátia, fructíficent
et usque ad extrémum terræ pervéniant.

Sit nobíscum
fidélis dispensátor mysteriórum tuórum,
ut pópulus tuus
per lavácrum regeneratiónis innovétur
et de altári tuo reficiátur,
utque reconciliéntur peccatóres
et subleventúr infírmi.

Sit nobis iunctus, Dómine,
ad tuam deprecándam misericórdiam
pro pópulo ipsi commísso
atque pro univérso mundo.

Sic natiónum plenitúdo, in Christo congregáta,
in unum pópulum tuum,
in Regno tuo consummándum,
convertátur.

Per Dóminum nostrum Iesum Christum, Fílium tuum,
qui tecum vivit et regnat
in unitáte Spíritus Sancti, Deus,
per ómnia sǽcula sæculórum.

Omnes:

Amen.

Unctio manuum et traditio panis et vini

160. Finita Prece Ordinationis, omnes sedent. Episcopus accipit mitram. Ordinatus surgit. Presbyteri adstantes revertuntur ad sua loca; aliquis tamen ex illis Ordinato disponit stolam more presbyterali et eum induit casula.

161. Postea Episcopus assumit gremiale linteum et, populo pro opportunitate commonefacto, inungit sacro chrismate palmas manuum Ordinati ante se genuflexi, dicens:

Dóminus Iesus Christus,
quem Pater unxit Spíritu Sancto et virtúte,
te custódiat
ad pópulum christiánum sanctificándum
et ad sacrifícium Deo offeréndum.

Deinde Episcopus et Ordinatus manus lavant.

162. Dum Ordinatus induitur stola et casula, et dum Episcopus illi manus inungit, canitur antiphona:

Sacérdos in ætérnum, Christus Dóminus
secúndum órdinem Melchísedech,
panem et vinum óbtulit (T. P. Allelúia).

cum Psalmo 109 (110): Dixit Dóminus Dómino meo, cf. supra n. 134, vel alius aptus cantus eiusdem generis qui conveniat antiphonæ, præsertim quando Psalmus 109 (110) tamquam psalmus responsorius in liturgia verbi adhibitus fuerit.

163. Deinde fideles panem super patenam et calicem, vino et aqua in eum inmissis, pro Missæ celebratione afferunt. Diaconus ea recipit et affert Episcopo, qui ipsa Ordinato, ante se genuflexo, in manus tradit, dicens:

Accipe oblatiónem plebis sanctæ
Deo offeréndam.
Agnósce quod ages,
imitáre quod tractábis,
et vitam tuam mystério domínicæ crucis confórma.

164. Demum Episcopus Ordinato dat osculum, dicens:

Pax tibi.

Ordinatus respondet:

Et cum spíritu tuo.

Similiter faciunt omnes vel saltem nonnulli presbyteri præsentes.

165. Interim cani potest responsorium ut supra n. 137:

℟. Iam non dicam vos servos, sed amícos meos, quia ómnia cognovístis, quæ operátus sum in medio vestri, (allelúia).
* Accípite Spíritum Sanctum in vobis Paráclitum. † Ille est, quem Pater mittet vobis, (allelúia).

℣. Vos amíci mei estis, si fecéritis quæ ego præcípio vobis. * Accípite.

℣. Glória Patri, et Fílio, et Spirítui Sancto.

† Ille est.

vel antiphona:

Vos amíci mei estis,
si fecéritis quæ præcípio vobis,
dicit Dóminus (T. P. Allelúia).

cum Psalmo 99 (100): Iubiláte Dómino, omnis terra, cf. supra n. 137, vel alius aptus cantus eiusdem generis qui conveniat responsorio vel antiphonæ, præsertim quando Psalmus 99 (100) tamquam psalmus responsorius in liturgia verbi adhibitus fuerit.

166. Missa prosequitur more solito. Symbolum dicitur secundum rubricas; oratio universalis omittitur.

Liturgia eucharistica

167. Liturgia eucharistica concelebratur more solito; attamen omittitur præparatio calicis.

168. In Prece eucharistica, Episcopus vel unus ex presbyteris concelebrantibus mentionem presbyteri modo ordinati facit secundum has formulas:

a) In Prece eucharistica I, Episcopus dicit Hanc ígitur proprium:

Hanc ígitur oblatiónem servitútis nostræ,
sed et cunctæ famíliæ tuæ,
quam tibi offérimus étiam pro fámulo tuo,
quem ad presbyterátus Ordinem promovére dignátus es,
quǽsumus, Dómine, ut placátus accípias,
et propítius in eo tua dona custódias,
ut, quod divíno múnere consecútus est,
divínis efféctibus exsequátur.
(Per Christum Dóminum nostrum. Amen.)

b) In intercessionibus Precis eucharisticæ II, post verba ... congregémur in unum dicitur:

Recordáre, Dómine, Ecclésiæ tuæ toto orbe diffúsæ,
ut eam in caritáte perfícias
una cum Papa nostro N. et Epíscopo nostro N.:

Recordáre quoque istíus fámuli tui,
quem hódie presbýterum Ecclésiæ providére voluísti,
et univérsi cleri.
Meménto étiam fratrum nostrórum ...

c) In intercessionibus Precis eucharisticæ III, post verba ... ad totíus mundi pacem atque salútem dicitur:

Ecclésiam tuam, peregrinántem in terra,
in fide et caritáte firmáre dignéris
cum fámulo tuo Papa nostro N. et Epíscopo nostro N.,
cum episcopáli Ordine et hoc fámulo tuo,
qui hódie présbyter Ecclésiæ ordinátus est,
et univérso clero,
et omni pópulo acquisitiónis tuæ.
Votis huius famíliæ ...

d) In intercessionibus Precis eucharisticæ IV, post verba ... ad laudem glóriæ tuæ dicitur:

Nunc ergo, Dómine, ómnium recordáre,
pro quibus tibi hanc oblatiónem offérimus:
in primis fámuli tui, Papæ nostri N.,
Epíscopi nostri N.,
et Episcopórum Ordinis univérsi,
et istíus fámuli tui,
quem hódie ad pópuli tui servítium presbyterále
elígere dignátus es,
sed et totíus cleri;
recordáre quoque offeréntium
et circumstántium,
et cuncti pópuli tui,
et ómnium, qui te quærunt corde sincéro.
Meménto étiam illórum ...

169. Parentes et propinqui Ordinati Communionem sub utraque specie recipere possunt.

170. Distributione Communionis expleta, cani potest cantus gratiarum actionis. Cantum sequitur oratio post Communionem.

Ritus conclusionis

171. Loco benedictionis consuetæ dici potest benedictio quæ sequitur. Diaconus dicere potest invitatorium:

Inclináte vos ad benedictiónem.

vel aliis verbis expressum.

Deinde Episcopus, manibus super Ordinatum et populum extensis, profert benedictionem:

Deus, Ecclésiæ institútor et rector,
sua te constánter tueátur grátia,
ut presbytérii múnera fidéli ánimo persólvas.

Omnes:
Amen.

Episcopus:
Ipse divínæ te fáciat caritátis et veritátis
in mundo servum et testem,
atque reconciliatiónis minístrum fidélem.

Omnes:
Amen.

Episcopus:
Et te fáciat verum pastórem,
qui fidélibus tríbuat panem vivum et verbum vitæ,
ut magis crescant in unitáte córporis Christi.

Omnes:
Amen.

Episcopus:

Et vos omnes, qui hic simul adéstis,
benedícat omnípotens Deus,
Pater, ✠ et Fílius, ✠ et Spíritus ✠ Sanctus.

Omnes:

Amen.

172. Data benedictione et populo a diacono dimisso, fit processio ad secretarium more consueto.

CAPUT III

DE ORDINATIONE DIACONORUM

PRÆNOTANDA

I

De Ordinationis momento

173. Per impositionem manuum inde ab Apostolis traditam diaconi ordinantur, ut ministerium suum per gratiam sacramentalem efficaciter impleant. Itaque sacrum diaconatus Ordinem iam a prisca Apostolorum ætate catholica Ecclesia magno in honore habuit.[1]

174. « Diaconi est, prout ei a competenti auctoritate assignatum fuerit, sollemniter Baptismum administrare, Eucharistiam servare et distribuere, Matrimonio Ecclesiæ nomine adsistere et benedicere, Viaticum moribundis deferre, fidelibus sacram legere Scripturam, populum instruere et exhortari, fidelium cultui et orationi præsidere, sacramentalia ministrare, ritui funeris ac sepulturæ præesse. Caritatis et administrationis officiis deditti, meminerint Diaconi moniti beati Polycarpi: "Misericordes, seduli, incedentes iuxta veritatem Domini, qui omnium minister factus est" ».[2]

175. Ad diaconatum ordinandi, iis exceptis qui per vota in clericali instituto cooptati sunt, antea ab Episcopo inter candidatos admitti debent.[3]

176. Per Ordinationem diaconalem ingressus in statum clericalem et incardinatio alicui diœcesi vel prælaturæ personali habentur.

[1] Cf. Paulus VI, Litt. apost. *Sacrum diaconatus Ordinem*, 18 Iunii 1967: *A.A.S.* 59 (1967) 697-704.

[2] Conc. Vat. II, Const. dogm. de Ecclesia, *Lumen gentium*, n. 29.

[3] Cf. Paulus VI, Litt. apost. *Ad pascendum*, n. I: *A.A.S.* 64 (1972) 538; CIC, can. 1034.

177. Per liberam assumptionem cælibatus coram Ecclesia, candidati ad diaconatum modo novo Christo consecrantur. Ad hoc publice manifestandum tenentur etiam qui votum perpetuæ castitatis in instituto religioso emiserint.

178. Munus Ecclesiæ, quæ Deum laudat atque pro totius mundi salute Christum, et per eum, Patrem interpellat, in celebratione Ordinationis concreditur diaconis ita ut Liturgiam Horarum persolvant pro toto populo Dei, immo pro omnibus hominibus.

II

De officiis et ministeriis

179. Omnium fidelium diœcesis est, ut candidatos ad diaconatum precibus prosequantur. Hoc fiat præsertim in oratione universali Missæ et in precibus Vesperarum.

Quia diaconi « in ministerio Episcopi ordinantur »,[4] ad eorum Ordinationem clerici aliique fideles invitandi sunt, ut quam maxima frequentia celebrationi intersint. Præsertim omnes diaconi ad celebrationem Ordinationis invitentur.

180. Minister sacræ Ordinationis est Episcopus. Unus ex Episcopi adiutoribus, ad formationem candidatorum delegatis, in celebratione Ordinationis nomine Ecclesiæ collationem Ordinis postulat et ad quæstionem de dignitate candidatorum respondet.

In celebratione Ordinationis cooperantur diaconi, qui Ordinatis indumenta diaconalia imponunt. Si diaconi desunt, alii ministri hoc munere fungi possunt. Diaconi vel saltem aliqui ex iis, fratres modo Ordinatos osculo salutant in signum receptionis in diaconatum.

III

De Ordinationis celebratione

181. Convenit ut Ecclesia localis, in cuius servitium singuli diaconi ordinantur, ad celebrationem Ordinationis præparetur.

Candidati ipsi oratione in silentio sese ad Ordinationem præparent vacando per quinque saltem dies exercitiis spiritalibus.

[4] Hippolytus, *Traditio Apostolica*, 8.

182. Celebratio Ordinationis fiat in ecclesia cathedrali vel in ecclesiis illarum communitatum, e quibus unus vel plures e candidatis oriundi sunt, vel in alia ecclesia maioris momenti. Si ordinandi sunt diaconi cuiusdam communitatis religiosæ Ordinatio fieri potest in ecclesia illius communitatis, in qua exercebunt suum ministerium.

183. Cum diaconatus unus sit, convenit ut etiam in celebratione Ordinationis nulla distinctio fiat ratione status candidatorum. Tamen, pro opportunitate, peculiaris celebratio pro candidatis uxoratis vel non uxoratis admitti potest.

184. Ordinatio fiat cum fidelium quam maxima frequentia die dominico vel festo, nisi rationes pastorales alium diem suadeant. Excludantur tamen Triduum paschale, Feria IV Cinerum, tota Hebdomada sancta et Commemoratio omnium fidelium defunctorum.

185. Ordinatio fit intra Missarum sollemnia ritu stationali celebrata, et quidem, liturgia verbi absoluta, ante liturgiam eucharisticam. Adhiberi potest Missa ritualis « In conferendis sacris Ordinibus » exceptis Sollemnitatibus, Dominicis Adventus, Quadragesimæ, Paschæ et diebus infra octavam Paschæ. Occurrentibus his diebus dicitur Missa de die cum suis lectionibus.

Si tamen, aliis in diebus, Missa ritualis non dicitur, una e lectionibus sumi potest ex iis, quæ in Lectionario pro Missa rituali proponuntur.

Oratio universalis omittitur, quia litaniæ eius locum tenent.

186. Dicto Evangelio, Ecclesia localis ab Episcopo petit, ut candidatos ordinet. Presbyter ad hoc deputatus Episcopo interroganti coram populo notum facit dubitationes de candidatis deesse. Candidati coram Episcopo omnibusque fidelibus voluntatem exprimunt se munus suum, iuxta mentem Christi atque Ecclesiæ sub moderatione Episcopi, exercituros esse. In litaniis omnes gratiam Dei pro candidatis implorant.

187. Per impositionem manuum Episcopi et Precem Ordinationis candidatis donum Spiritus Sancti pro munere diaconorum confertur. Hæc autem verba ad naturam rei pertinent, atque adeo ut actus valeat exiguntur: « Emítte in eos, Dómine, quǽsumus, Spíritum Sanctum, quo in opus ministérii fidéliter exsequéndi múnere septifórmis tuæ grátiæ roboréntur ».

188. Immediate post Precem Ordinationis, Ordinati stola diaconali et dalmatica induuntur, quo eorum ministerium abhinc in liturgia peragendum exterius manifestetur.

Per traditionem libri Evangeliorum, munus diaconorum proclamandi Evangelium in celebrationibus liturgicis necnon fidem Ecclesiæ verbo et opere prædicandi indicatur.

Osculo Episcopus quodammodo sigillum ponit ad acceptationem eorum in suo ministerio: diaconi osculo salutant Ordinatos ad commune ministerium in Ordine suo.

189. In liturgia eucharistica Ordinati ministerium suum prima vice exercent, assistentes Episcopo, altare parantes, Communionem fidelibus porrigentes, præsertim autem ministrantes calicem et monitiones proclamantes.

IV

De iis, quæ sunt paranda

190. Præter ea quæ ad Missæ stationalis celebrationem necessaria sunt, parentur:

a) Liber De Ordinatione;
b) stolæ et dalmaticæ pro singulis ordinandis.

191. Ordinatio de more fiat ad cathedram; si autem propter participationem fidelium opus est, paretur sedes pro Episcopo ante altare vel alio opportuniore loco.

Sedes pro ordinandis sic parentur, ut actio liturgica a fidelibus bene conspici queat.

192. Episcopus et presbyteri concelebrantes sacras vestes induunt quæ sibi respective ad Missæ celebrationem requiruntur.

Ordinandi sumunt amictum, albam et cingulum.

Vestes sint coloris Missæ quæ celebratur, secus coloris albi, vel vestes festivæ seu nobiliores adhibeantur.

RITUS ORDINATIONIS DIACONORUM

Ritus initiales et Liturgia verbi

193. Omnibus rite dispositis, ordinatur processio per ecclesiam ad altare modo consueto. Ordinandi præcedunt diaconum librum Evangeliorum, qui in Missa et Ordinatione adhibetur, deferentem. Sequuntur alii diaconi, si adsint, presbyteri concelebrantes ac denique Episcopus et paulisper retro eum duo diaconi ei assistentes. Cum ad altare pervenerint, facta debita reverentia, omnes accedunt ad loca sibi assignata.

Interim canitur antiphona ad introitum cum suo psalmo vel alius cantus aptus.

194. Ritus initiales et liturgia verbi peraguntur more consueto usque ad Evangelium inclusive.

195. Post lectionem Evangelii, diaconus librum Evangeliorum iterum super altare reverenter deponit, ubi remanet usque dum Ordinatis tradatur.

Ordinatio

196. Deinde incipit Ordinatio diaconorum.

Episcopus accedit, si opus est, ad sedem pro Ordinatione paratam, et fit præsentatio candidatorum.

Electio candidatorum

197. Ordinandi vocantur a diacono hoc modo:

Accédant qui ordinándi sunt diáconi.

Et mox singulatim ab eodem nominantur; et unusquisque vocatus dicit:

Adsum,

et accedit ad Episcopum, cui reverentiam facit.

198. Omnibus coram Episcopo dispositis, presbyter ab Episcopo deputatus dicit:

Reverendíssime Pater, póstulat sancta Mater Ecclésia, ut hos fratres nostros ad onus diacónii órdines.

Episcopus illum interrogat dicens:

Scis illos dignos esse?

Ille respondet:

Ex interrogatióne pópuli christiáni et suffrágio virórum ad quos pértinet testíficor illos dignos esse invéntos.

Episcopus:

Auxiliánte Dómino Deo, et Salvatóre nostro Iesu Christo, elígimus hos fratres nostros in Ordinem diacónii.

Omnes dicunt:

Deo grátias,

vel alio modo, iuxta Prænotanda generalia n. 11 statuto, electioni assentiunt.

Homilia

199. Tunc Episcopus, omnibus sedentibus, homiliam habet, in qua, initium sumens e textu lectionum quæ in liturgia verbi lectæ sunt, populum atque electos de munere diaconorum alloquitur, rationem habendo etiam de ordinandorum condicione, utrum nempe agatur de electis uxoratis et non uxoratis, vel de electis non uxoratis tantum, vel de electis uxoratis tantum. De tali munere autem loqui potest his vel similibus verbis:

Fratres dilectíssimi, cum isti fílii nostri, quos inter propínquos vel amícos habétis, mox ad Ordinem diaconórum sint provehéndi, atténte cogitáte ad qualem ministérii gradum sint ascensúri.

Spíritus Sancti dono roboráti, Epíscopo eiúsque presbytério adiuméntum præstábunt, in ministério verbi, altáris et caritátis, ómnium servos se exhibéntes. Altáris minístri effécti, Evangélium nuntiábunt, sacrifícium apparábunt, Corpus et Sánguinem Dómini fidélibus partiéntur.

Prætérea, secúndum mandátum Epíscopi, ad eos pertinébit tam infidéles quam fidéles exhortári et sacra doctrína imbúere, oratiónibus præsidére, baptísmum ministráre, matrimónio assístere illúdque benedícere, viáticum ad moriéntes deférre, rítibus exsequiárum præésse.

Per impositiónem mánuum inde ab Apóstolis tráditam consecráti et árctius altári coniúncti, in nómine Epíscopi vel párochi, ministérium caritátis explébunt. In his ómnibus, sic agant, Deo adiuvánte, ut eos vere discípulos illíus cognoscátis, qui non venit ministrári, sed ministráre.

Vobis autem, fílii dilectíssimi, ad Ordinem diacónii provehéndi, Dóminus dedit exémplum, ut, quemádmodum ipse fecit, ita et vos faciátis.

Diáconi ígitur, id est Iesu Christi minístri, qui in médio discipulórum quasi minístrans appáruit, Dei voluntátem ex ánimo faciéntes, in caritáte, sicut Dómino ita et homínibus cum lætítia servíte. Cum vero nemo duóbus dóminis possit servíre, consideráte omnem immundítiam aut avarítiam idolórum esse servitútem.

Si ordinantur simul electi uxorati et non uxorati.

Cum ad Ordinem diaconátus líbere accedátis, sicut illos quondam ab Apóstolis ad ministérium caritátis eléctos, viros boni testimónii Spíritu Sancto et sapiéntia plenos vos esse opórtet.

Qui vero inter vos ministérium vestrum, in cælibátu constitúti, exercébitis, scitóte illum esse signum simul et stímulum caritátis pastorális atque fontem fecunditátis in mundo. Sincéra enim erga Christum Dóminum caritáte compúlsi et perfécta devotióne in hoc statu vivéntes, Christo facílius indivíso corde adhærébitis, Dei et hóminum servítio libérius vacábitis et óperi regeneratiónis supérnæ expedítius ministrábitis.

Sive in sacro cælibátu constitúti sive non, in fide radicáti et fundáti, exhibéte vos immaculátos et irreprehensíbiles coram Deo et homínibus, sicut decet Christi minístros et dispensatóres mysteriórum Dei, nec vos a spe Evangélii avérti sinátis, cuius non tantum auditóres sed et minístri esse debétis. Mystérium fídei in consciéntia pura habéntes, verbum Dei, quod ore prædicátis, opéribus vestris osténdite, ut plebs christiána, Spíritu vivificáta, fiat pura oblátio, Deo accépta, et vos, in novíssimo die Dómino occurréntes, ab eo audíre valeátis: « Euge, serve bone et fidélis, intra in gáudium Dómini tui ».

Si ordinantur tantummodo electi non uxorati.

Cum ad Ordinem diaconátus líbere accedátis, sicut illos quondam ab Apóstolis ad ministérium caritátis eléctos, viros boni testimónii Spíritu Sancto et sapiéntia vos plenos esse opórtet. Ministérium vestrum, in cælibátu constitúti, exercébitis: est enim signum simul et stímulus caritátis pastorális atque peculiáris fons fecunditátis in mundo. Sincéra enim erga Christum Dóminum caritáte compúlsi et perfécta devotióne in hoc statu Christo facílius indivíso corde adhærébitis, Dei et hóminum servítio libérius vacábitis et óperi regeneratiónis supérnæ expedítius ministrábitis. In fide radicáti et fundáti, exhibéte vos immaculátos et irreprehensíbiles coram Deo et homínibus, sicut decet Christi minístros et dispensatóres mysteriórum Dei, nec vos a spe Evangélii avérti sinátis, cuius non tantum auditóres sed et minístri esse debétis. Mystérium fídei in consciéntia pura habéntes, verbum Dei, quod ore prædicátis, opéribus vestris osténdite, ut plebs christiána, Spíritu vivificáta, fiat pura oblátio, Deo accépta, et vos, in novíssimo die Dómino occurréntes, ab eo audíre valeátis: « Euge, serve bone et fidélis, intra in gáudium Dómini tui ».

Si ordinantur tantummodo electi uxorati.

Sicut illos quondam ab Apóstolis ad ministérium caritátis eléctos, viros boni testimónii Spíritu Sancto et sapiéntia plenos vos esse opórtet. In fide ergo radicáti et fundáti, exhibéte vos immaculátos et irreprehensíbiles coram Deo et homínibus, sicut decet Christi minístros et dispensatóres mysteriórum Dei, nec vos a spe Evangélii avérti sinátis, cuius non tantum auditóres sed et minístri esse debétis. Mystérium fídei in consciéntia pura habéntes, verbum Dei, quod ore prædicátis, opéribus vestris osténdite, ut plebs christiána, Spíritu vivificáta, fiat pura oblátio, Deo accépta, et vos, in novíssimo die Dómino occurréntes, ab eo audíre valeátis: « Euge, serve bone et fidélis, intra in gáudium Dómini tui ».

Promissio electorum

200. Post homiliam, electi soli surgunt et stant coram Episcopo, qui eos, una simul, interrogat his verbis:

Fílii caríssimi, priúsquam ad Ordinem diacónii accedátis, vos opórtet coram pópulo propósitum de suscipiéndo múnere profitéri.

Vultis ad ministérium Ecclésiæ per impositiónem mánuum meárum et donum Spíritus Sancti consecrári?

Electi omnes simul respondent:

Volo.

Episcopus:

Vultis munus diacónii in adiutórium Ordinis sacerdotális et in proféctum pópuli christiáni húmili caritáte explére?

Electi:

Volo.

Episcopus:

Vultis mystérium fídei, ut ait Apóstolus, in consciéntia pura habére, et hanc fidem secúndum Evangélium et traditiónem Ecclésiæ verbo et ópere prædicáre?

Electi:

Volo.

Sequens interrogatio facienda est etiam professis religiosis. Omittitur vero si ordinantur tantummodo electi uxorati.

Episcopus:

Vos, qui paráti estis ad cælibátum amplecténdum: Vultis in signum ánimi vestri Christo Dómino déditi, propter Regnum cælórum in Dei hominúmque servítio hoc propósitum perpétuo custodíre?

Electi non uxorati:

Volo.

Episcopus:

(Vos omnes,) vultis spíritum oratiónis modo vestro vivéndi próprium custodíre et augére, et in hoc spíritu Liturgíam Horárum, iuxta condiciónem vestram, una cum pópulo Dei atque pro eo, immo pro univérso mundo, fidéliter implére?

Electi:

Volo.

Episcopus:

Vultis conversatiónem vestram exémplo Christi, cuius Corpus et Sánguinem in altári tractábitis, indesinénter conformáre?

Electi:

Volo, Deo auxiliánte.

201. Deinde unusquisque electorum accedit ad Episcopum et, coram eo genuflexus, ponit manus suas iunctas inter manus Episcopi, nisi iuxta Prænotanda generalia n. 11 aliter statutum est.

Episcopus interrogat electum, dicens, si eius est Ordinarius:

Promíttis mihi et successóribus meis reveréntiam et obœdiéntiam?

Electus:

Promítto.

Si vero Episcopus non est eius Ordinarius, dicit:

Promíttis Ordinário tuo reveréntiam et obœdiéntiam?

Electus:

Promítto.

Si vero electus est religiosus, Episcopus dicit:

Promíttis Epíscopo diœcesáno necnon legítimo Superióri tuo reveréntiam et obœdiéntiam?

Electus:


Promítto.

Episcopus semper concludit:


Qui cœpit in te opus bonum, Deus, ipse perfíciat.

Supplicatio litanica


202. Deinde omnes surgunt. Episcopus, deposita mitra, stans manibus iunctis versus ad populum, dicit invitatorium:




Orémus, di- lectíssimi, De- um Patrem omnipo-téntem, ut




super hos fámu-los su- os, quos in sacrum Ordinem di- a-
(hunc fámulum su-um, quem)





Orémus, dilectíssimi, Deum Patrem omnipoténtem,
ut super hos fámulos suos,
quos in sacrum Ordinem diaconátus dignátur assúmere,
benedictiónis suæ grátiam cleménter effúndat.

203. Tunc electi procumbunt et canuntur litaniæ, omnibus respondentibus; quod diebus dominicis necnon tempore paschali fit omnibus stantibus, ceteris autem diebus flexis genibus. Quo in casu diaconus admonet:



In litaniis addi possunt suis locis aliqua nomina Sanctorum, ex. gr. Patroni, Titularis ecclesiæ, Fundatoris, Patroni eorum qui Ordinationem recipiunt, aut aliquæ invocationes magis aptæ singulis circumstantiis.

Sanctorum cognomina, inter parentheses posita, opportune omittuntur, quando litaniæ latina lingua canuntur.

Kýrie, eléison.
Kýrie, eléison.

Christe, eléison.
Christe, eléison.

Kýrie, eléison.
Kýrie, eléison.


Sancta María, Mater Dei,	ora pro nobis.
Sancte Míchael,	ora pro nobis.
Sancti Angeli Dei,	oráte pro nobis.
Sancte Ioánnes Baptísta,	ora pro nobis.
Sancte Ioseph,	ora pro nobis.
Sancti Petre et Paule,	oráte pro nobis.
Sancte Andréa,	ora pro nobis.
Sancte Ioánnes,	ora pro nobis.
Sancta María Magdaléna,	ora pro nobis.
Sancte Stéphane,	ora pro nobis.
Sancte Ignáti Antiochéne,	ora pro nobis.
Sancte Lauréntí,	ora pro nobis.
Sancte Vincénti,	ora pro nobis.
Sanctæ Perpétua et Felícitas,	oráte pro nobis.
Sancta Agnes,	ora pro nobis.
Sancte Gregóri,	ora pro nobis.
Sancte Augustíne,	ora pro nobis.
Sancte Athanási,	ora pro nobis.
Sancte Basíli,	ora pro nobis.
Sancte Ephræm,	ora pro nobis.
Sancte Martíne,	ora pro nobis.
Sancte Benedícte,	ora pro nobis.
Sancte Francísce,	ora pro nobis.
Sancte Domínice,	ora pro nobis.
Sancte Francísce (Xavier),	ora pro nobis.
Sancte Ioánnes María (Vianney),	ora pro nobis.
Sancta Catharína (Senensis),	ora pro nobis.
Sancta Terésia a Iesu,	ora pro nobis.
Omnes Sancti et Sanctæ Dei,	oráte pro nobis.
Propítius esto,	líbera nos, Dómine.
Ab omni malo,	líbera nos, Dómine.
Ab omni peccáto,	líbera nos, Dómine.
A morte perpétua,	líbera nos, Dómine.
Per incarnatiónem tuam,	líbera nos, Dómine.

Per mortem et resurrectiónem tuam, líbera nos, Dómine.
Per effusiónem Spíritus Sancti, líbera nos, Dómine.
Peccatóres, te rogámus, audi nos.
Ut Ecclésiam tuam sanctam régere et conserváre dignéris, te rogámus, audi nos.
Ut domnum apostólicum et omnes ecclesiásticos órdines in sancta religióne conserváre dignéris te rogámus, audi nos.
Ut hos eléctos (hunc eléctum) benedícere dignéris, te rogámus, audi nos.
Ut hos eléctos (hunc eléctum) benedícere et sanctificáre dignéris, te rogámus, audi nos.
Ut hos eléctos (hunc eléctum) benedícere et sanctificáre et consecráre dignéris, te rogámus, audi nos.
Ut cunctis pópulis pacem et veram concórdiam donáre dignéris, te rogámus, audi nos.
Ut ómnibus in tribulatióne versántibus misericórdiam tuam largíri dignéris, te rogámus, audi nos.
Ut nosmetípsos in tuo sancto servítio confortáre et conserváre dignéris, te rogámus, audi nos.
Iesu, Fili Dei vivi, te rogámus, audi nos.


Christe, audi nos.
Christe, audi nos.

Christe, exáudi nos.
Christe, exáudi nos.


204. Litaniarum cantu expleto, Episcopus stans, manibus extensis, dicit:



Dómi-ne De- us, pre-ces nostras cleménter exáudi, ut quæ




nostro sunt ge-rénda offí- ci- o, tu- o prosequáris be-ní-




gnus auxí- li- o; et, quos sacris mi-nisté-ri- is exsequéndis
(*quem*)



pro nostra intelle-génti- a cré-dimus offe-réndos, tu- a be-
(*offe- réndum*)




ne-dicti- óne sanctí- fi- ca. Per Christum Dóminum no-



strum.

Omnes:




Amen.

Dómine Deus, preces nostras cleménter exáudi,
ut quæ nostro sunt geréndа offício,
tuo prosequáris benígnus auxílio;
et, quos sacris ministériis exsequéndis
pro nostra intellegéntia crédimus offeréndos,
tua benedictióne sanctífica.
Per Christum Dóminum nostrum.

Omnes:
Amen.

Diaconus, si casus fert, admonet:



Le-vá-te.


Omnes surgunt.

Impositio manuum et Prex Ordinationis


205. Electi surgunt; unusquisque eorum accedit ad Episcopum stantem ante sedem cum mitra et coram eo genua flectit.

206. Episcopus singulis imponit manus super caput, nihil dicens.


207 Electis ante ipsum genuflexis, Episcopus, dimissa mitra, dicit, extensis manibus, Precem Ordinationis:





Adé-sto, quǽsumus, omnípo-tens De- us, gratiárum da-tor,




órdinum distribú-tor offi-cio-rúmque dispó-si-tor, qui



in te manens ínnovas ómni- a, et sempi-térna pro-vidén-



ti- a cuncta dispónens, per verbum, virtú-tem sa-pi- entiám-



que tu- am Iesum Christum, Fí- li- um tu- um, Dóminum no-



strum, síngu- lis quibúsque tempó-ribus aptánda dispénsas.



Cu- ius corpus, Ecclési- am tu- am, cæléstí- um gra ti- árum va-ri-



e-tá- te distínctam su- orúmque co-né-xam distincti- ó-ne



membrórum, compá-ge mi-rá-bi- li per Spí- ri-tum Sanctum u-


ní- tam, in augméntum templi novi crésce-re di- la-ta-ríque


largí- ris, sacris muné- ri-bus tri-nos gradus mi-nistrórum



nómi-ni tu- o serví-re constí-tu- ens, sic-ut iam ab i- ní- ti-



o Le-vi fí- li- os e- le-gísti, ad pri- ó-ris tabernácu- li mi-



nisté- ri- um explendum. Sic in Ecclé-si- æ tu- æ exór-


di- is Apósto- li Fí- li- i tu- i, Spí- ri- tu Sancto auctó-



re, septem vi-ros boni testi-móni- i de- legé-runt, qui e-


os in co- ti-di- áno mi-nisté- ri- o adiuvá-rent, ut ipsi



o-ra- ti- óni et præ-di-ca- ti- ó-ni verbi abundánti- us pos-




sent instá-re, et e- lectis il-lis vi- ris per o-ra- ti- ónem




et manus impo- si- ti- ó-nem mensá- rum mi- ni-sté- ri- um




commi-sé-runt. Super hos quoque fámu-los tu- os, quǽsu-
(*hunc*) (*fámu-lum tu-um*)




mus, Dómine, pla-cá-tus inténde, quos tu- is sacris altá-ri-
(*quem*)




bus servi- túros in offí- ci- um di- a-cóni- i supplí- ci- ter
(*servi-túrum*)




de-di-cámus.




Emítte in e- os, Dómine, quǽsumus, Spí- ri-tum Sanctum,
(*e- um*)




quo in opus mi-nisté- ri- i fi- dé- li- ter exsequéndi múne-




re septi-fórmis tu- æ grá- ti- æ robo-réntur.
(*ro-bo-ré- tur*)




Abúndet in e- is e-vangé- li- cæ forma virtú-tis, di- lécti-
(*e- o*)



o si-ne simu-la-ti- óne, solli- ci- túdo infirmórum ac páu-




pe-rum, auctó-ri- tas mo-désta, inno-cénti- æ pú- ri- tas et




spi- ri- tu- á- lis observánti- a disciplínæ. In mó- ri-bus e-
(*e-*




ó-rum præcépta tu- a fúlge- ant, ut su- æ conversa -ti- ó-nis
ius)




ex-émplo imi-ta-ti- ónem sanctæ ple-bis acquírant, et,
(*acquírat*)




bonum consci- énti- æ testimóni- um præferéntes, in Chri-
(*prǽferens*)



sto firmi et stá-bi-les persevé-rent, quátenus, Fí- li- um tu-
(*firmus et stá-bi-lis persevé-ret*)




um, qui non ve-nit mi-nistrá-ri sed mi-nistrá-re, imi-tán-
(*ími-*



tes in terris, cum ipso regná- re me-re- ántur in cæ-lis.
tans) (*me-re- á- tur*)




Qui tecum vi-vit et regnat in uni-tá-te Spí-ri-tus Sancti, De-



us, per ómni- a sǽcu-la sæcu-ló-rum.

Omnes:



Adésto, quǽsumus, omnípotens Deus,
gratiárum dator,
órdinum distribútor officiorúmque dispósitor,
qui in te manens ínnovas ómnia,
et sempitérna providéntia cuncta dispónens,
per verbum, virtútem sapientiámque tuam
Iesum Christum, Fílium tuum, Dóminum nostrum,
síngulis quibúsque tempóribus aptánda dispénsas.

Cuius corpus, Ecclésiam tuam,
cæléstium gratiárum varietáte distínctam
suorúmque conéxam distinctióne membrórum,
compáge mirábili per Spíritum Sanctum unítam,
in augméntum templi novi créscere dilataríque largíris,
sacris munéribus trinos gradus ministrórum
nómini tuo servíre constítuens,
sicut iam ab inítio Levi fílios elegísti,
ad prióris tabernáculi ministérium expléndum.

Sic in Ecclésiæ tuæ exórdiis
Apóstoli Fílii tui, Spíritu Sancto auctóre,
septem viros boni testimónii delegérunt,
qui eos in cotidiáno ministério adiuvárent,
ut ipsi oratióni et prædicatióni verbi
abundántius possent instáre,
et eléctis illis viris
per oratiónem et manus impositiónem
mensárum ministérium commisérunt.

Super hos quoque fámulos tuos,
quǽsumus, Dómine, placátus inténde,
quos tuis sacris altáribus servitúros
in offícium diacónii supplíciter dedicámus.

Emítte in eos, Dómine, quǽsumus,
Spíritum Sanctum,
quo in opus ministérii fidéliter exsequéndi
múnere septifórmis tuæ grátiæ roboréntur.

Abúndet in eis evangélicæ forma virtútis,
diléctio sine simulatióne,
sollicitúdo infirmórum ac páuperum,
auctóritas modésta,
innocéntiæ púritas
et spirituális observántia disciplínæ.

In móribus eórum præcépta tua fúlgeant,
ut suæ conversatiónis exémplo
imitatiónem sanctæ plebis acquírant,
et, bonum consciéntiæ testimónium præferéntes,
in Christo firmi et stábiles persevérent,
quátenus, Fílium tuum,
qui non venit ministrári sed ministráre,
imitántes in terris,
cum ipso regnáre mereántur in cælis.


Qui tecum vivit et regnat
in unitáte Spíritus Sancti, Deus,
per ómnia sǽcula sæculórum.

Omnes:
Amen.


Traditio libri Evangeliorum

208. Finita Prece Ordinationis, omnes sedent. Episcopus accipit mitram. Ordinati surgunt, et aliqui diaconi vel alii ministri imponunt unicuique stolam more diaconali et eum induunt dalmatica.

209. Interim cani potest antiphona:



[VIII] **Be- á- ti qui há-bi-tant * in domo tu- a, Domi-ne.**



T. P. Alle-lú-ia. E u o u a e.

cum Psalmo 83 (84), vel alius aptus cantus eiusdem generis qui conveniat antiphonæ, præsertim quando Psalmus 83 (84) tamquam psalmus responsorius in liturgia verbi adhibitus fuerit.

Psalmus 83 (84)

Quam dilécta tabernácula tua, Dómine virtútum! *
Concupíscit et déficit ánima mea
in átria Dómini.
Cor meum et caro mea *
exsultavérunt in Deum vivum.

(Repetitur antiphona)

Etenim passer invénit sibi domum, †
et turtur nidum sibi, ubi ponat pullos suos: *
altária tua, Dómine virtútum,
rex meus et Deus meus.
Beáti, qui hábitant in domo tua: *
in perpétuum laudábunt te.

(Repetitur antiphona)

Beátus vir, cuius est auxílium abs te, *
ascensiónes in corde suo dispósuit.
Transeúntes per vallem sitiéntem
in fontem ponent eam, *
étenim benedictiónibus véstiet eam
plúvia matutína.

(Repetitur antiphona)

Ibunt de virtúte in virtútem, *
vidébitur Deus deórum in Sion.
Dómine, Deus virtútum, exáudi oratiónem meam; *
áuribus pércipe, Deus Iacob.

(Repetitur antiphona)

Protéctor noster áspice, Deus, *
et réspice in fáciem christi tui.
Quia mélior est dies una in átriis tuis
super mília, †
elégi ad limen esse in domo Dei mei *
magis quam habitáre
in tabernáculis peccatórum.

(Repetitur antiphona)

Quia sol et scutum est Dóminus Deus, †
grátiam et glóriam dabit Dóminus; *
non privábit bonis eos,
qui ámbulant in innocéntia.
Dómine virtútum, *
beátus homo, qui sperat in te.

(Repetitur antiphona)

Non dicitur Glória Patri. Psalmus tamen abrumpitur et repetitur antiphona, cum omnes Ordinati dalmatica sunt induti.

210. Ordinati, vestibus diaconalibus induti, accedunt ad Episcopum, qui librum Evangeliorum unicuique ante se genuflexo, in manus tradit dicens:

Accipe Evangélium Christi,
cuius præco efféctus es;
et vide, ut quod légeris credas,
quod credíderis dóceas,
quod docúeris imitéris.

211. Demum Episcopus singulis Ordinatis dat osculum dicens:


Pax tibi.

Ordinatus respondet:

Et cum spíritu tuo.

Similiter faciunt omnes vel saltem nonnulli diaconi præsentes.


212. Interim cani potest antiphona:



[I] Si quis mi- hi mi-nistrá- ve-rit, * hono- ri- fi-cá-bit e- um Pa-



ter me- us, qui est in cæ-lis, di-cit Dóminus. T. P. Alle- lú-



ia. E u o u a e.

cum Psalmo 145, vel alius aptus cantus eiusdem generis qui conveniat antiphonæ.

Psalmus 145

Lauda, ánima mea, Dóminum; †
laudábo Dóminum in vita mea, *
psallam Deo meo, quámdiu fúero.
Nolíte confídere in princípibus, *
in fíliis hóminum, in quibus non est salus.
(Repetitur antiphona)

Exíbit spíritus eius et revertétur
in terram suam; *
in illa die períbunt cogitatiónes eórum.
Beátus, cuius Deus Iacob est adiútor,
cuius spes in Dómino Deo suo,
qui fecit cælum et terram, *
mare et ómnia, quæ in eis sunt;
qui custódit veritátem in sǽculum, †
facit iudícium oppréssis, *
dat escam esuriéntibus.
(Repetitur antiphona)

Dóminus solvit compedítos, *
Dóminus illúminat cæcos,
Dóminus érigit depréssos, *
Dóminus díligit iustos,
Dóminus custódit ádvenas, †
pupíllum et víduam susténtat *
et viam peccatórum dispérdit.
(Repetitur antiphona)

Regnábit Dóminus in sǽcula *
Deus tuus, Sion,
in generatiónem et generatiónem.
(Repetitur antiphona)

Non dicitur Glória Patri. Psalmus tamen abrumpitur et repetitur antiphona, cum Episcopus et diaconi osculum Ordinatis dederunt.

213. Missa prosequitur more solito. Symbolum dicitur secundum rubricas; oratio universalis omittitur.

Liturgia eucharistica

214. In Prece eucharistica mentio fit diaconorum modo ordinatorum secundum has formulas:

a) In Prece eucharistica I, Episcopus dicit Hanc ígitur proprium:

Hanc ígitur oblatiónem servitútis nostræ,
sed et cunctæ famíliæ tuæ,
quam tibi offérimus étiam pro fámulis tuis,
quos ad diaconátus Ordinem promovére dignátus es,
quǽsumus, Dómine, ut placátus accípias,
et propítius in eis tua dona custódias,
ut, quod divíno múnere consecúti sunt,
divínis efféctibus exsequántur.
(Per Christum Dóminum nostrum. Amen.)

b) In intercessionibus Precis eucharisticæ II, post verba ... congregémur in unum dicitur:

Recordáre, Dómine, Ecclésiæ tuæ toto orbe diffúsæ,
ut eam in caritáte perfícias
una cum Papa nostro N. et Epíscopo nostro N.;
recordáre quoque istórum famulórum tuórum
quos hódie minístros Ecclésiæ providére voluísti,
et univérsi cleri.
Meménto étiam fratrum nostrórum ...

c) In intercessionibus Precis eucharisticæ III, post verba ... ad totíus mundi pacem atque salútem dicitur:

Ecclésiam tuam, peregrinántem in terra,
in fide et caritáte firmáre dignéris
cum fámulo tuo Papa nostro N. et Epíscopo nostro N.,
cum episcopáli Ordine et his fámulis tuis,
qui hódie minístri Ecclésiæ ordináti sunt,
et univérso clero,
et omni pópulo acquisitiónis tuæ.
Votis huius famíliæ ...

d) In intercessionibus Precis eucharisticæ IV, post verba ... ad laudem glóriæ tuæ dicitur:

Nunc ergo, Dómine, ómnium recordáre,
pro quibus hanc oblatiónem offérimus:
in primis fámuli tui, Papæ nostri N.,
Epíscopi nostri N.,
et Episcopórum Ordinis univérsi,
et istórum famulórum tuórum,
quos hódie ad pópuli tui servítium diaconále
elígere dignátus es,
sed et totíus cleri;
recordáre quoque offeréntium,
et circumstántium,
et cuncti pópuli tui,
et ómnium, qui te quærunt corde sincéro.
Meménto étiam illórum ...

215. Parentes et propinqui Ordinatorum Communionem sub utraque specie recipere possunt.

216. Aliqui ex diaconis modo ordinatis Episcopum adiuvant in distribuenda Communione fidelibus, præsertim ut ministri calicis.

217. Distributione Communionis expleta, cani potest cantus gratiarum actionis. Cantum sequitur oratio post Communionem.

Ritus conclusionis

218. Loco benedictionis consuetæ, dici potest benedictio, quæ sequitur. Diaconus dicere potest invitatorium:

Inclináte vos ad benedictiónem.

Deinde Episcopus, manibus super Ordinatos et populum extensis, profert benedictionem:

Deus, qui vos vocávit ad servítium hóminum
in Ecclésia sua,

det vobis magnum zelum erga omnes,
máxime erga afflíctos et páuperes.

Omnes:
Amen.

Episcopus:
Ipse qui vobis munus dedit
prædicándi Evangélium Christi,
ádiuvet vos ut, Vivéntes secúndum verbum suum,
testes eius sitis sincéri atque ardéntes.

Omnes:
Amen.

Episcopus:
Et qui vos fecit dispensatóres mysterióorum suórum,
præstet vos esse imitatóres Fílii sui Iesu Christi
et in mundo minístros unitátis et pacis.

Omnes:
Amen.

Episcopus:
Et vos omnes, qui hic simul adéstis,
benedícat omnípotens Deus,
Pater, ✠ et Fílius, ✠ et Spíritus ✠ Sanctus.

Omnes:
Amen.

219. Data benedictione et populo a diacono dimisso, fit processio ad secretarium more consueto.

RITUS ORDINATIONIS DIACONORUM UNI TANTUM CONFERENDÆ

220. Quæ supra in Prænotandis, nn. 181-192, exponuntur valent etiam de Ritu Ordinationis diaconorum uni tantum conferendæ.

Ritus initiales et Liturgia verbi

221. Omnibus rite dispositis, ordinatur processio per ecclesiam ad altare modo consueto. Ordinandus præcedit diaconum librum Evangeliorum, qui in Missa et Ordinatione adhibetur, deferentem. Sequuntur alii diaconi, si adsint, presbyteri concelebrantes ac denique Episcopus et paulisper retro eum duo diaconi ei assistentes. Cum ad altare pervenerint, facta debita reverentia, omnes accedunt ad loca sibi assignata.

Interim canitur antiphona ad introitum cum suo psalmo vel alius cantus aptus.

222. Ritus initiales et liturgia verbi peraguntur more consueto usque ad Evangelium inclusive.

223. Post lectionem Evangelii, diaconus librum Evangeliorum iterum super altare reverenter deponit, ubi remanet usque dum Ordinato tradatur.

Ordinatio

224. Deinde incipit Ordinatio diaconi.

Episcopus accedit, si opus est, ad sedem pro Ordinatione paratam, et fit præsentatio candidati.

Electio candidati

225. Ordinandus vocatur a diacono hoc modo:

Accédat qui ordinándus est diáconus.

Et mox ab eodem nominatur; et vocatus dicit:

Adsum,

et accedit ad Episcopum, cui reverentiam facit.

226. Ordinando coram Episcopo stante, presbyter ab Episcopo deputatus dicit:

Reverendíssime Pater, póstulat sancta Mater Ecclésia, ut hunc fratrem nostrum ad onus diacónii órdines.

Episcopus illum interrogat dicens:

Scis illum dignum esse?

Ille respondet:

Ex interrogatióne pópuli christiáni et suffrágio virórum ad quos pértinet testíficor illum dignum esse invéntum.

Episcopus:

Auxiliánte Dómino Deo, et Salvatóre nostro Iesu Christo, elígimus hunc fratrem nostrum in Ordinem diacónii.

Omnes dicunt:

Deo grátias,

vel alio modo, iuxta Prænotanda generalia n. 11 statuto, electioni assentiunt.

Homilia

227. Tunc Episcopus, omnibus sedentibus, homiliam habet, in qua, initium sumens e textu lectionum quæ in liturgia verbi lectæ sunt, populum atque electum de munere diaconorum alloquitur, rationem habendo etiam de ordinandi condicione, utrum nempe agatur de electo uxorato vel de electo non uxorato. De tali munere autem loqui potest his vel similibus verbis:

Fratres dilectíssimi, cum iste fílius noster, quem inter propínquos vel amícos habétis, mox ad Ordinem diaconórum sit provehéndus, atténte cogitáte ad qualem ministérii gradum sit ascensúrus.

Spíritus Sancti dono roborátus, Epíscopo eiúsque presbytério adiuméntum præstábit, in ministério verbi, altáris et caritátis, ómnium servum se éxhibens. Altáris miníster efféctus, Evangélium nuntiábit, sacrifícium apparábit, Corpus et Sánguinem Dómini fidélibus partiétur.

Prætérea, secúndum mandátum Epíscopi, ad eum pertinébit tam infidéles quam fidéles exhortári et sacra doctrína imbúere, oratiónibus præsidére, baptísmum ministráre, matrimónio assístere illúdque benedícere, viáticum ad moriéntes deférre, rítibus exsequiárum præésse.

Per impositiónem mánuum inde ab Apóstolis tráditam consecrátus et árctius altári coniúnctus, in nómine Epíscopi vel párochi, ministérium caritátis explébit. In his ómnibus, sic agat, Deo adiuvánte, ut eum vere discípulum illíus cognoscátis, qui non venit ministrári, sed ministráre.

Tibi autem, fili dilectíssime, ad Ordinem diacónii provehénde, Dóminus dedit exémplum, ut, quemádmodum ipse fecit, ita et tu fácias.

Diáconus ígitur, id est Iesu Christi minístér, qui in médio discipulórum quasi minístrans appáruit, Dei voluntátem ex ánimo fáciens, in caritáte, sicut Dómino ita et homínibus cum lætítia servi. Cum vero nemo duóbus dóminis possit servíre, consídera omnem immundítiam aut avarítiam idolórum esse servitútem.

Si ordinatur electus non uxoratus.

Cum vero ad Ordinem diaconátus líbere accédis, sicut illos quondam ab Apóstolis ad ministérium caritátis eléctos, virum boni testimónii Spíritu Sancto et sapiéntia plenum te esse opórtet.

Ministérium tuum, in cælibátu constitútus, exercébis: est enim signum simul et stímulus caritátis pastorális atque peculiáris fons fecunditátis in mundo. Sincéra enim erga Christum Dóminum caritáte compúlsus et perfécta devotióne in hoc statu vivens, Christo facílius indivíso corde adhærébis, Dei et hóminum servítio libérius vacábis et óperi regeneratiónis supérnæ expedítius ministrábis. In fide radicátus et fundátus, éxhibe te immaculátum et irreprehensíbilem coram

Deo et homínibus, sicut decet Christi minístrum et dispensatórem mysteriórum Dei, nec te a spe Evangélii avérti sinas, cuius non tantum audítor sed et minister esse debes. Mystérium fídei in consciéntia pura habens, verbum Dei, quod ore prǽdicas, opéribus tuis osténde, ut plebs christiána, Spíritu vivificáta, fiat pura oblátio, Deo accépta, et tu, in novíssimo die Dómino occúrrens, ab eo audíre váleas: « Euge, serve bone et fidélis, intra in gáudium Dómini tui ».

Si ordinatur electus uxoratus.

Sicut illos quondam ab Apóstolis ad ministérium caritátis eléctos, virum boni testimónii Spíritu Sancto et sapiéntia plenum te esse opórtet. In fide ergo radicátus et fundátus, éxhibe te immaculátum et irreprehensíbilem coram Deo et homínibus, sicut decet Christi minístrum et dispensatórem mysteriórum Dei, nec te a spe Evangélii avérti sinas, cuius non tantum audítor sed et minister esse debes. Mystérium fídei in consciéntia pura habens, verbum Dei, quod ore prǽdicas, opéribus tuis osténde, ut plebs christiána, Spíritu vivificáta, fiat pura oblátio, Deo accépta, et tu, in novíssimo die Dómino occúrrens, ab eo audíre váleas: « Euge, serve bone et fidélis, intra in gáudium Dómini tui ».

Promissio electi

228. Post homiliam, electus solus surgit et stat coram Episcopo, qui eum interrogat his verbis:

Fili caríssime, priúsquam ad Ordinem diacónii accédas, te opórtet coram pópulo propósitum de suscipiéndo múnere profitéri.

Vis ad ministérium Ecclésiæ per impositiónem mánuum meárum et donum Spíritus Sancti consecrári?

Electus respondet:

Volo.

Episcopus:

Vis munus diacónii in adiutórium Ordinis sacerdotális et in proféctum pópuli christiáni húmili caritáte explére?

Electus:

Volo.

Episcopus:

Vis mystérium fídei, ut ait Apóstolus, in consciéntia pura habére, et hanc fidem secúndum Evangélium et traditiónem Ecclésiæ verbo et ópere prædicáre?

Electus:

Volo.

Sequens interrogatio facienda est etiam professo religioso. Omittitur vero si ordinatur electus uxoratus.

Episcopus:

Vis in signum ánimi tui Christo Dómino déditi, propter Regnum cælórum in Dei hominúmque servítio hoc propósitum cælibátus perpétuo custodíre?

Electus non uxoratus:

Volo.

Episcopus:

Vis spíritum oratiónis modo tuo vivéndi próprium custodíre et augére, et in hoc spíritu Liturgíam Horárum, iuxta condiciónem tuam, una cum pópulo Dei atque pro eo, immo pro univérso mundo, fidéliter implére?

Electus:

Volo.

Episcopus:

Vis conversatiónem tuam exémplo Christi, cuius Corpus et Sánguinem in altári tractábis, indesinénter conformáre?

Electus:

Volo, Deo auxiliánte.

229. Deinde electus accedit ad Episcopum et, coram eo genuflexus, ponit manus suas iunctas inter manus Episcopi, nisi iuxta Prænotanda generalia n. 11 aliter statutum est.

Episcopus interrogat electum, dicens, si eius est Ordinarius:

Promíttis mihi et successóribus meis reveréntiam et obœdiéntiam?

Electus:

Promítto.

Si vero Episcopus non est eius Ordinarius, dicit:

Promíttis Ordinário tuo reveréntiam et obœdiéntiam?

Electus:

Promítto.

Si vero electus est religiosus, Episcopus dicit:

Promíttis Epíscopo diœcesáno necnon legítimo Superióri tuo reveréntiam et obœdiéntiam?

Electus:

Promítto.

Episcopus semper concludit:

Qui cœpit in te opus bonum, Deus, ipse perfíciat.

Supplicatio litanica

230. Deinde omnes surgunt. Episcopus, deposita mitra, stans manibus iunctis versus ad populum, dicit invitatorium (pro cantu, cf. n. 202, mutato tamen numero plurali):

Orémus, dilectíssimi, Deum Patrem omnipoténtem,
ut super hunc fámulum suum,
quem in sacrum Ordinem diaconátus dignátur assúmere,
benedictiónis suæ grátiam cleménter effúndat.

231. Tunc electus procumbit et canuntur litaniæ, omnibus respondentibus; quod diebus dominicis necnon tempore paschali fit omnibus stantibus, ceteris autem diebus flexis genibus. Quo in casu diaconus admonet:

Flectámus génua.

In litaniis addi possunt suis locis aliqua nomina Sanctorum, ex. gr. Patroni, Titularis ecclesiæ, Fundatoris, Patroni eius qui Ordinationem recipit, aut aliquæ invocationes magis aptæ singulis circumstantiis.

Sanctorum cognomina, inter parentheses posita, opportune omittuntur, quando litaniæ latina lingua canuntur.

Cantores incipiunt litanias ut supra n. 203; invocationes tamen super electum dicuntur numero singulari.

232. Litaniarum cantu expleto, Episcopus stans, manibus extensis, dicit (pro cantu, cf. n. 204, mutato tamen numero plurali):

Dómine Deus, preces nostras cleménter exáudi,
ut quæ nostro sunt gerénda offício,
tuo prosequáris benígnus auxílio;
et, quem sacris ministériis exsequéndis
pro nostra intellegéntia crédimus offeréndum,
tua benedictióne sanctífica.
Per Christum Dóminum nostrum.

Omnes:

Amen.

Diaconus, si casus fert, admonet:

Leváte.

Omnes surgunt.

Impositio manuum et Prex Ordinationis

233. Electus surgit et accedit ad Episcopum stantem ante sedem cum mitra et coram eo genua flectit.

234. Episcopus ei imponit manus super caput, nihil dicens.

235. Electo ante ipsum genuflexo, Episcopus, dimissa mitra, dicit (pro cantu, cf. n. 207, mutato tamen numero plurali), extensis manibus, Precem Ordinationis:

Adésto, quǽsumus, omnípotens Deus,
gratiárum dator,
órdinum distribútor officiorúmque dispósitor,
qui in te manens ínnovas ómnia,
et sempitérna providéntia cuncta dispónens,
per verbum, virtútem sapientiámque tuam
Iesum Christum, Fílium tuum, Dóminum nostrum,
síngulis quibúsque tempóribus aptánda dispénsas.

Cuius corpus, Ecclésiam tuam,
cæléstium gratiárum varietáte distínctam
suorúmque conéxam distinctióne membrórum,
compáge mirábili per Spíritum Sanctum unítam,
in augméntum templi novi créscere dilataríque largíris,
sacris munéribus trinos gradus ministrórum
nómini tuo servíre constítuens,
sicut iam ab inítio Levi fílios elegísti,
ad prióris tabernáculi ministérium expléndum.

Sic in Ecclésiæ tuæ exórdiis
Apóstoli Fílii tui, Spíritu Sancto auctóre,
septem viros boni testimónii delegérunt,
qui eos in cotidiáno ministério adiuvárent,
ut ipsi oratióni et prædicatióni verbi
abundántius possent instáre,
et eléctis illis viris
per oratiónem et manus impositiónem
mensárum ministérium commisérunt.

Super hunc quoque fámulum tuum,
quǽsumus, Dómine, placátus inténde,
quem tuis sacris altáribus servitúrum
in offícium diacónii supplíciter dedicámus.

Emítte in eum, Dómine, quǽsumus,
Spíritum Sanctum,
quo in opus ministérii fidéliter exsequéndi
múnere septifórmis tuæ grátiæ roborétur.

Abúndet in eo evangélicæ forma virtútis,
diléctio sine simulatióne,
sollicitúdo infirmórum ac páuperum,
auctóritas modésta,
innocéntiæ púritas
et spirituális observántia disciplínæ.

In móribus eius præcépta tua fúlgeant,
ut suæ conversatiónis exémplo
imitatiónem sanctæ plebis acquírat,
et, bonum consciéntiæ testimónium prǽferens,
in Christo firmus et stábilis persevéret,
quátenus, Fílium tuum,
qui non venit ministrári sed ministráre,
ímitans in terris,
cum ipso regnáre mereátur in cælis.

Qui tecum vivit et regnat
in unitáte Spíritus Sancti, Deus,
per ómnia sǽcula sæculórum.

Omnes:

Amen.

Traditio libri Evangeliorum

236. Finita Prece Ordinationis, omnes sedent. Episcopus accipit mitram. Ordinatus surgit, et aliquis diaconus vel alius minister imponit ei stolam more diaconali et eum induit dalmatica.

237. Interim cani potest antiphona:

Beáti qui hábitant
in domo tua, Dómine (T. P. Allelúia).

cum Psalmo 83 (84), Quam diiécta tabernácula tua, Dómine cf. supra n. 209 vel alius aptus cantus eiusdem generis qui conveniat antiphonæ, præsertim quando Psalmus 83 (84) tamquam psalmus responsorius in liturgia verbi adhibitus fuerit.

238. Ordinatus, vestibus diaconalibus indutus, accedit ad Episcopum, qui librum Evangeliorum ei ante se genuflexo, in manus tradit dicens:

Accipe Evangélium Christi,
cuius præco efféctus es;
et vide, ut quod légeris credas,
quod credíderis dóceas,
quod docúeris imitéris.

239. Demum Episcopus Ordinato dat osculum dicens:

Pax tibi.

Ordinatus respondet:

Et cum spíritu tuo.

Similiter faciunt omnes vel saltem nonnulli diaconi præsentes.

240. Interim cani potest antiphona:

Si quis mihi ministráverit,
honorificábit eum Pater meus,
qui est cælis, dicit Dóminus (T. P. Allelúia).

cum Psalmo 145, Lauda, ánima mea, Dóminum cf. supra n. 212 vel alius aptus cantus eiusdem generis qui conveniat antiphonæ.

241. Missa prosequitur more solito. Symbolum dicitur secundum rubricas; oratio universalis omittitur.

Liturgia eucharistica

242. In Prece eucharistica mentio fit diaconi modo ordinati secundum has formulas:

a) In Prece eucharistica I, Episcopus dicit **Hanc ígitur** proprium:

Hanc ígitur oblatiónem servitútis nostræ,
sed et cunctæ famíliæ tuæ,
quam tibi offérimus étiam pro fámulo tuo,
quem ad diaconátus Ordinem promovére dignátus es,
quǽsumus, Dómine, ut placátus accípias,
et propítius in eo tua dona custódias,
ut, quod divíno múnere consecútus est,
divínis efféctibus exsequátur.
(Per Christum Dóminum nostrum. Amen.)

b) In intercessionibus Precis eucharisticæ II, post verba ... congregémur in unum dicitur:

Recordáre, Dómine, Ecclésiæ tuæ toto orbe diffúsæ,
ut eam in caritáte perfícias
una cum Papa nostro N. et Epíscopo nostro N.;
recordáre quoque istíus fámuli tui
quem hódie minístrum Ecclésiæ providére voluísti,
et univérsi cleri.
Meménto étiam fratrum nostrórum ...

c) In intercessionibus Precis eucharisticæ III, post verba ... ad totíus mundi pacem atque salútem dicitur:

Ecclésiam tuam, peregrinántem in terra,
in fide et caritáte firmáre dignéris
cum fámulo tuo Papa nostro N. et Epíscopo nostro N.,
cum episcopáli Ordine et hoc fámulo tuo,
qui hódie miníster Ecclésiæ ordinátus est,
et univérso clero,
et omni pópulo acquisitiónis tuæ:
Votis huius famíliæ ...

d) In intercessionibus Precis eucharisticæ IV, post verba ... ad laudem glóriæ tuæ dicitur:

Nunc ergo, Dómine, ómnium recordáre,
pro quibus hanc oblatiónem offérimus:
in primis fámuli tui, Papæ nostri N.,
Epíscopi nostri N.,
et Episcopórum Ordinis univérsi,
et istíus fámuli tui,
quem hódie ad pópuli tui servítium diaconále
elígere dignátus es,
sed et totíus cleri;
recordáre quoque offeréntium,
et circumstántium,
et cuncti pópuli tui,
et ómnium, qui te quærunt corde sincéro.
Meménto étiam illórum ...

243. Parentes et propinqui Ordinati Communionem sub utraque specie recipere possunt.

244. Diaconus modo ordinatus Episcopum adiuvat in distribuenda Communione fidelibus, præsertim ut minister calicis.

245. Distributione Communionis expleta, cani potest cantus gratiarum actionis. Cantum sequitur oratio post Communionem.

Ritus conclusionis

246. Loco benedictionis consuetæ, dici potest benedictio, quæ sequitur. Diaconus dicere potest invitatorium:

Inclináte vos ad benedictiónem.

vel aliis verbis expressum.

Deinde Episcopus, manibus super Ordinatum et populum extensis, profert benedictionem:

Deus, qui te vocávit ad servítium hóminum
in Ecclésia sua,

det tibi magnum zelum erga omnes,
máxime erga afflíctos et páuperes.

Omnes:
Amen.

Episcopus:
Ipse qui tibi munus dedit
prædicándi Evangélium Christi,
ádiuvet te ut, vivens secúndum verbum suum,
testis eius sis sincérus atque ardens.

Omnes:
Amen.

Episcopus:
Et qui te fecit dispensatórem mysteriórum suórum,
præstet te esse imitatórem Fílii sui Iesu Christi
et in mundo minístrum unitátis et pacis.

Omnes:
Amen.

Episcopus:
Et vos omnes, qui hic simul adéstis,
benedícat omnípotens Deus,
Pater, ✠ et Fílius, ✠ et Spíritus ✠ Sanctus.

Omnes:
Amen.

247. Data benedictione et populo a diacono dimisso, fit processio ad secretarium more consueto.

CAPUT IV

DE ORDINATIONE DIACONORUM ET DE ORDINATIONE PRESBYTERORUM IN UNA ACTIONE LITURGICA SIMUL CONFERENDIS

PRÆNOTANDA

I

De Ordinationis diaconorum et Ordinationis presbyterorum celebratione

248. Convenit ut Ecclesia localis, in cuius servitium diaconi et presbyteri ordinantur, ad celebrationem Ordinationis præparetur.

Candidati ipsi oratione in silentio sese ad Ordinationem præparent vacando per quinque saltem dies exercitiis spiritalibus.

249. Celebratio fiat in ecclesia cathedrali vel in ecclesiis illarum communitatum, e quibus unus vel plures e candidatis oriundi sunt, vel in alia ecclesia maioris momenti.

Si ordinandi sunt membra cuiusdam communitatis religiosæ Ordinatio fieri potest in ecclesia illius communitatis, in qua exercebunt suum ministerium.

250. Ordinatio fiat cum fidelium quam maxima frequentia die dominico vel festo, nisi rationes pastorales alium diem suadeant. Excludantur tamen Triduum paschale, Feria IV Cinerum, tota Hebdomada sancta et Commemoratio omnium fidelium defunctorum.

251. Ordinatio fit intra Missarum sollemnia ritu stationali celebrata, et quidem, liturgia verbi absoluta, ante liturgiam eucharisticam.

Adhiberi potest Missa ritualis « In conferendis sacris Ordinibus », exceptis Sollemnitatibus, Dominicis Adventus, Quadragesimæ, Paschæ et diebus infra octavam Paschæ. Occurrentibus his diebus dicitur Missa de die cum suis lectionibus.

Si tamen, aliis in diebus, Missa ritualis non dicitur, una e lectionibus sumi potest ex iis, quæ in Lectionario pro Missa rituali proponuntur.

Oratio universalis omittitur, quia litaniæ eius locum tenent.

252. Dicto Evangelio, Ecclesia localis ab Episcopo petit, ut candidatos ordinet. Presbyter ad hoc deputatus Episcopo interroganti coram populo notum facit dubitationes de candidatis deesse. Candidati, diaconi et presbyteri, suo quisque momento coram Episcopo omnibusque fidelibus voluntatem exprimunt se munus suum, iuxta mentem Christi atque Ecclesiæ sub moderatione Episcopi, exercituros esse. In litaniis omnes gratiam Dei pro candidatis implorant.

253. Per impositionem manuum Episcopi et Precem Ordinationis candidatis diaconis donum Spiritus Sancti pro munere diaconorum confertur. Hæc autem verba ad naturam rei pertinent, atque adeo ut actus valeat exiguntur: « Emítte in eos, Dómine, quǽsumus, Spíritum Sanctum, quo in opus ministérii fidéliter exsequéndi múnere septifórmis tuæ grátiæ roboréntur ».

Immediate post Precem Ordinationis, Ordinati stola diaconali et dalmatica induuntur, quo eorum ministerium abhinc in liturgia peragendum exterius manifestetur.

Per traditionem libri Evangeliorum munus diaconorum proclamandi Evangelium in celebrationibus liturgicis necnon fidem Ecclesiæ verbo et opere prædicandi indicatur.

254. Post novam omnium orationem sequitur Ordinatio presbyterorum.

Per impositionem manuum Episcopi et Precem Ordinationis candidatis donum Spiritus Sancti pro munere presbyterorum confertur. Hæc autem verba ad naturam rei pertinent, atque adeo ut actus valeat exiguntur: « Da, quǽsumus, omnípotens Pater, in hos fámulos tuos presbytérii dignitátem; ínnova in viscéribus eórum Spíritum sanctitátis; accéptum a te, Deus, secúndi mériti munus obtíneant, censurámque morum exémplo suæ conversatiónis insínuent ».

Una cum Episcopo, presbyteri manus imponunt candidatis, ut cooptationem in presbyterium significent.

Immediate post Precem Ordinationis, Ordinati stola presbyterali et casula induuntur, quo eorum ministerium abhinc in liturgia peragendum exterius manifestetur.

Hoc ministerium per alia signa adhuc fusius explicatur: nam per unctionem manuum, peculiaris presbyterorum participatio in sacerdotio Christi significatur; per traditionem autem panis et vini in manus eorum, munus celebrationi Eucharistiæ præsidendi et Christum crucifixum sequendi indicatur.

255. Osculo Episcopus quodammodo sigillum ponit ad acceptationem presbyterorum et diaconorum utpote suorum cooperatorum novorum in eorum ministerium. In quantum fieri potest omnes vel saltem nonnulli presbyteri osculo salutant ordinatos presbyteros et diaconi respective diaconos nuper ordinatos in signum receptionis in Ordine suo.

256. In liturgia eucharistica, ordinati presbyteri ministerium suum prima vice exercent, eam cum Episcopo aliisque membris presbyterii concelebrantes. Presbyteri modo ordinati primum locum obtinent.

Diaconi vero Episcopo assistunt. Unus ex eis altare parat, Communionem fidelibus porrigit, calicem ministrat, monitiones proclamat.

II

De iis, quæ sunt paranda

257. Præter ea quæ ad Missæ stationalis celebrationem necessaria sunt, parentur:

a) Liber De Ordinatione;

b) casulæ pro singulis ordinandis presbyteris; stolæ et dalmaticæ pro singulis ordinandis diaconis;

c) gremiale linteum;

d) sanctum chrisma;

e) ea quæ ad manuum lotionem necessaria sunt sive pro Episcopo sive pro ordinatis presbyteris.

258. Ordinatio de more fiat ad cathedram; si autem propter participationem fidelium opus est, paretur sedes pro Episcopo ante altare vel alio opportuniore loco.

Sedes pro ordinandis sic parentur, ut actio liturgica a fidelibus bene conspici queat.

259. Episcopus et presbyteri concelebrantes sacras vestes induunt quæ sibi respective ad Missæ celebrationem requiruntur.

Ordinandi presbyteri sumunt amictum, albam, cingulum et stolam diaconalem; ordinandi diaconi sumunt amictum, albam et cingulum.

Presbyteri non concelebrantes, qui manus ordinandis presbyteris imponunt, sint stolis induti super albam aut vestem talarem cum superpelliceo.

Vestes sint coloris Missæ quæ celebratur, secus coloris albi, vel vestes festivæ seu nobiliores adhibeantur.

RITUS ORDINATIONIS PLURIUM DIACONORUM ET ORDINATIONIS PLURIUM PRESBYTERORUM

Ritus initiales et Liturgia verbi

260. Omnibus rite dispositis, ordinatur processio per ecclesiam ad altare modo consueto. Ordinandi diaconi præcedunt diaconum librum Evangeliorum deferentem et alios diaconos, si adsint. Ordinandi vero presbyteri sequuntur alios diaconos, et præcedunt presbyteros concelebrantes. Episcopus solus incedit ultimus et paulisper retro eum duo diaconi ei assistentes. Cum ad altare pervenerint, facta debita reverentia, omnes accedunt ad loca sibi assignata.

Interim canitur antiphona ad introitum cum suo psalmo vel alius cantus aptus.

261. Ritus initiales et liturgia verbi peraguntur more consueto usque ad Evangelium inclusive.

Ordinatio

262. Deinde incipit Ordinatio.

Episcopus accedit, si opus est, ad sedem pro Ordinatione paratam, et fit præsentatio candidatorum.

Electio candidatorum ad diaconatum

263. Ordinandi diaconi vocantur a diacono hoc modo:

Accédant qui ordinándi sunt diáconi.

Et mox singulatim ab eodem nominantur; et unusquisque vocatus dicit:

Adsum,

et accedit ad Episcopum, cui reverentiam facit.

264. Omnibus coram Episcopo dispositis, presbyter ab Episcopo deputatus dicit:

Reverendíssime Pater, póstulat sancta Mater Ecclésia, ut hos fratres nostros ad onus diacónii órdines.

Episcopus illum interrogat dicens:

Scis illos dignos esse?

Ille respondet:

Ex interrogatióne pópuli christiáni et suffrágio virórum ad quos pértinet testíficor illos dignos esse invéntos.

Episcopus:

Auxiliánte Dómino Deo, et Salvatóre nostro Iesu Christo, elígimus hos fratres nostros in Ordinem diacónii.

Omnes dicunt:

Deo gratias,

vel alio modo, iuxta Prænotanda generalia n. 11 statuto, electioni assentiunt.

Electio candidatorum ad presbyteratum

265. Ordinandi presbyteri vocantur a diacono hoc modo:

Accédant qui ordinándi sunt presbýteri.

Et mox singulatim ab eodem nominantur; et unusquisque vocatus dicit:

Adsum,

et accedit ad Episcopum, cui reverentiam facit.

266. Omnibus coram Episcopo dispositis, presbyter ab Episcopo deputatus dicit:

Reverendíssime Pater, póstulat sancta Mater Ecclésia, ut hos fratres nostros ad onus presbytérii órdines.

Episcopus illum interrogat, dicens:

Scis illos dignos esse?

Ille respondet:

Ex interrogatióne pópuli christiáni et suffrágio virórum ad quos pértinet testíficor illos dignos esse invéntos.

Episcopus:

Auxiliánte Dómino Deo, et Salvatóre nostro Iesu Christo, elígimus hos fratres nostros in Ordinem presbytérii.

Omnes dicunt:

Deo grátias,

vel alio modo, iuxta Prænotanda generalia n. 11 statuto, electioni assentiunt.

Homilia

267. Tunc Episcopus, omnibus sedentibus, homiliam habet, in qua, initium sumens e textu lectionum quæ in liturgia verbi lectæ sunt, populum atque electos de munere diaconorum et presbyterorum alloquitur, rationem habendo etiam de ordinandorum diaconorum condicione, utrum nempe agatur simul de electis uxoratis et non uxoratis, vel de electis non uxoratis tantum, vel de electis uxoratis tantum. Quod facere potest his vel similibus verbis:

Dilectíssimi, cum isti fratres nostri mox ad Ordinem diaconórum et presbyterórum sint provehéndi, atténte cogitáte ad qualem ministérii gradum sint ascensúri. Christo, summo Magístro, Sacerdóti et Pastóri, isti insérvient, cuius ministério corpus eius, idest Ecclésia, in pópulum Dei, et templum Spíritus Sancti, hic in terris indesinénter ædificátur. Sacerdótio Episcopórum coniungéndi, presbýteri et diáconi consecrabúntur ad Evangélium prædicándum, pópulum Dei sanctificándum et pascéndum cultúmque divínum, in domínico præsértim sacrifício, celebrándum. In his ómnibus sic agant, Deo adiuvánte, ut eos vere discípulos illíus cognoscátis, qui non venit ministrári sed ministráre.

Vobis autem, fílii dilectíssimi, ad Ordinem diacónii provehéndi, Dóminus dedit exémplum, ut, quemádmodum ipse fecit, ita et vos faciátis.

Diáconi ígitur, id est Iesu Christi minístri, qui in médio discipulórum quasi minístrans appáruit, Dei voluntátem ex ánimo faciéntes, in caritáte, sicut Dómino ita et homínibus cum lætítia servíte. Cum vero nemo duóbus dóminis possit servíre, consideráte omnem immundítiam aut avarítiam idolórum esse servitútem.

Si ordinantur ad diaconatum simul electi uxorati et non uxorati.

Cum ad Ordinem diaconátus líbere accedátis, sicut illos quondam ab Apóstolis ad ministérium caritátis eléctos, viros boni testimónii Spíritu Sancto et sapiéntia plenos vos esse opórtet.

Qui vero inter vos ministérium vestrum, in cælibátu constitúti, exercébitis, scitóte illum esse signum simul et stímulum caritátis pastorális atque fontem fecunditátis in mundo. Sincéra enim erga Christum Dóminum caritáte compúlsi et perfécta devotióne in hoc statu vivéntes, Christo facílius indivíso corde adhærébitis, Dei et hóminum servítio libérius vacábitis et óperi regeneratiónis supérnæ expedítius ministrábitis.

Sive in sacro cælibátu constitúti sive non, in fide radicáti et fundáti, exhibéte vos immaculátos et irreprehensíbiles coram Deo et homínibus, sicut decet Christi minístros et dispensatóres mysteriórum Dei, nec vos a spe Evangélii avérti sinátis, cuius non tantum auditóres sed et minístri esse debétis. Mystérium fídei in consciéntia pura habéntes, verbum Dei, quod ore prædicátis, opéribus vestris osténdite, ut plebs christiána, Spíritu vivificáta, fiat pura

oblátio, Deo accépta, et vos, in novíssimo die Dómino occurréntes, ab eo audíre valeátis: « Euge, serve bone et fidélis, intra in gáudium Dómini tui ».

Si ordinantur ad diaconatum tantummodo electi non uxorati.

Cum ad Ordinem diaconátus líbere accedátis, sicut illos quondam ab Apóstolis ad ministérium caritátis eléctos, viros boni testimónii Spíritu Sancto et sapiéntia plenos vos esse opórtet. Ministérium vestrum, in cælibátu constitúti, exercébitis: est enim signum simul et stímulus caritátis pastorális atque peculiáris fons fecunditátis in mundo. Sincéra enim erga Christum Dóminum caritáte compúlsi et perfécta devotióne in hoc statu vivéntes, Christo facílius indivíso corde adhærébitis, Dei et hóminum servítio libérius vacábitis et óperi regeneratiónis supérnæ expedítius ministrábitis. In fide radicáti et fundáti, exhibéte vos immaculátos et irreprehensíbiles coram Deo et homínibus, sicut decet Christi minístros et dispensatóres mysteriórum Dei, nec vos a spe Evangélii avérti sinátis, cuius non tantum auditóres sed et minístri esse debétis. Mystérium fídei in consciéntia pura habéntes, verbum Dei, quod ore prædicátis, opéribus vestris osténdite, ut plebs christiána, Spíritu vivificáta, fiat pura oblátio, Deo accépta, et vos, in novíssimo die Dómino occurréntes, ab eo audíre valeátis: « Euge, serve bone et fidélis, intra in gáudium Dómini tui ».

Si ordinantur ad diaconatum tantummodo electi uxorati.

Sicut illos quondam ab Apóstolis ad ministérium caritátis eléctos, viros boni testimónii Spíritu Sancto et sapiéntia plenos vos esse opórtet. In fide ergo radicáti et fundáti, exhibéte vos immaculátos et irreprehensíbiles coram

Deo et homínibus, sicut decet Christi minístros et dispensatóres mysteriórum Dei, nec vos a spe Evangélii avérti sinátis, cuius non tantum auditóres sed et minístri esse debétis. Mystérium fídei in consciéntia pura habéntes, verbum Dei, quod ore prædicátis, opéribus vestris osténdite, ut plebs christiána, Spíritu vivificáta, fiat pura oblátio, Deo accépta, et vos, in novíssimo die Dómino occurréntes, ab eo audíre valeátis: « Euge, serve bone et fidélis, intra in gáudium Dómini tui ».

Vos autem, fílii dilectíssimi, ad Ordinem presbytérii provehéndi, sacro docéndi múnere in Christo Magístro pro vestra parte fungémini. Verbum Dei ómnibus dispensáte, quod ipsi cum gáudio accepístis. In lege Dómini meditántes, vidéte ut quod legéritis credátis, quod credidéritis doceátis, quod docuéritis imitémini.

Sit ergo doctrína vestra pábulum pópulo Dei, sit odor vitæ vestræ delectaméntum Christi fidélibus, ut verbo et exémplo ædificétis domum, id est Ecclésiam Dei.

Múnere item sanctificándi in Christo fungémini. Ministério enim vestro sacrifícium spirituále fidélium perficiétur, Christi sacrifício coniúnctum, quod una cum iis per manus vestras super altáre incruénter in celebratióne mysteriórum offerétur. Agnóscite ergo quod ágitis, imitámini quod tractátis, quátenus mortis et resurrectiónis Dómini mystérium celebrántes, membra vestra a vítiis ómnibus mortificáre et in novitáte vitæ ambuláre studeátis.

Baptísmo hómines Dei pópulo aggregántes, Pæniténtiæ sacraménto peccáta in nómine Christi et Ecclésiæ dimitténtes, óleo sancto infírmos sublevántes, ritus sacros celebrántes, laudes cum gratiárum actióne et précibus per horas diéi offeréntes non tantum pro pópulo Dei, sed et pro mundo univérso, mementóte vos ex homínibus esse assúmptos et

pro homínibus constitútos in iis quæ sunt ad Deum. Munus ergo Christi Sacerdótis perénni gáudio in vera caritáte expléte, non quæ vestra sunt, sed quæ Iesu Christi quæréntes.

Múnere dénique Christi Cápitis et Pastóris pro vestra parte fungéntes, fílii caríssimi, Epíscopo iuncti et súbditi, fidéles in unam famíliam adunáre studéte, ut eos per Christum in Spíritu Sancto ad Deum Patrem addúcere valeátis. Boni Pastóris exémplum ante óculos semper habéte, qui non venit ministrári, sed ministráre, quique venit quǽrere et salvum fácere quod períerat.

Promissio electorum diaconorum

268. Post homiliam, electi diaconi soli surgunt et stant coram Episcopo, qui eos, una simul, interrogat his verbis:

Fílii caríssimi, priúsquam ad Ordinem diacónii accedátis, vos opórtet coram pópulo propósitum de suscipiéndo múnere profitéri.

Vultis ad ministérium Ecclésiæ per impositiónem mánuum meárum et donum Spíritus Sancti consecrári?

Electi omnes simul respondent:

Volo.

Episcopus:

Vultis munus diacónii in adiutórium Ordinis sacerdotális et in proféctum pópuli christiáni húmili caritáte explére?

Electi:

Volo.

Episcopus:

Vultis mystérium fídei, ut ait Apóstolus, in consciéntia pura habére, et hanc fidem secúndum Evangélium et traditiónem Ecclésiæ verbo et opere prædicáre?

Electi:

Volo.

Sequens interrogatio facienda est etiam professis religiosis. Omittitur vero si ordinantur tantummodo electi uxorati.

Episcopus:

Vos, qui paráti estis ad cælibátum amplecténdum: Vultis in signum ánimi vestri Christo Dómino déditi, propter Regnum cælórum in Dei hominúmque servítio hoc propósitum perpétuo custodíre?

Electi non uxorati:

Volo.

Episcopus:

(Vos omnes,) vultis spíritum oratiónis modo vestro vivéndi próprium custodíre et augére, et in hoc spíritu Liturgíam Horárum, iuxta condiciónem vestram, una cum pópulo Dei atque pro eo, immo pro univérso mundo, fidéliter implére?

Electi:

Volo.

Episcopus:

Vultis conversatiónem vestram exémplo Christi, cuius Corpus et Sánguinem in altári tractábitis, indesinénter conformáre?

Electi:

Volo, Deo auxiliánte.

269. Deinde unusquisque electorum diaconorum accedit ad Episcopum et, coram eo genuflexus, ponit manus suas iunctas inter manus Episcopi, nisi iuxta Prænotanda generalia n. 11 aliter statutum est.

Episcopus interrogat electum, dicens, si eius est Ordinarius:

Promíttis mihi et successóribus meis reveréntiam et obœdiéntiam?

Electus:

Promítto.

Si vero Episcopus non est eius Ordinarius, dicit:

Promíttis Ordinário tuo reveréntiam et obœdiéntiam?

Electus:

Promítto.

Si vero electus est religiosus, Episcopus dicit:

Promíttis Epíscopo diœcesáno necnon legítimo Superióri tuo reveréntiam et obœdiéntiam?

Electus:

Promítto.

Episcopus semper concludit:

Qui cœpit in te opus bonum, Deus, ipse perfíciat.

Et electi diaconi ad loca sua redeunt ac sedent.

Promissio electorum presbyterorum

270. Post promissionem electorum diaconorum, electi presbyteri surgunt et stant coram Episcopo, qui eos, una simul, interrogat his verbis:

Fílii caríssimi, priúsquam ad Ordinem presbytérii accedátis, vos opórtet coram pópulo propósitum de suscipiéndo múnere profitéri.

Vultis munus sacerdótii in gradu presbyterórum ut probi Episcopórum Ordinis cooperatóres, in pascéndo grege domínico, duce Spíritu Sancto, indesinénter explére?

Electi omnes simul respondent:

Volo.

Episcopus:

Vultis ministérium verbi, in prædicatióne Evangélii et expositióne fídei cathólicæ, digne et sapiénter explére?

Electi:

Volo.

Episcopus:

Vultis mystéria Christi ad laudem Dei et sanctificatiónem pópuli christiáni, secúndum Ecclésiæ traditiónem, præsértim in Eucharístiæ sacrifício et sacraménto reconciliatiónis, pie et fidéliter celebráre?

Electi:

Volo.

Episcopus:

Vultis nobíscum misericórdiam divínam pro pópulo vobis commísso imploráre orándi mandáto indesinénter instantes?

Electi:

Volo.

Episcopus:

Vultis Christo summo Sacerdóti, qui seípsum pro nobis hóstiam puram óbtulit Patri, árctius in dies coniúngi et cum eo vos ipsos, pro salúte hóminum, Deo consecráre?

Electi:

Volo, Deo auxiliánte.

271. Deinde unusquisque electorum presbyterorum accedit ad Episcopum et, coram eo genuflexus, ponit manus suas iunctas inter manus Episcopi, nisi iuxta Prænotanda generalia n. 11 aliter statutum est.

Episcopus interrogat electum dicens, si eius est Ordinarius:

Promíttis mihi et successóribus meis reveréntiam et obœdiéntiam?

Electus:

Promítto.

Si vero Episcopus non est eius Ordinarius, dicit:

Promíttis Ordinário tuo reveréntiam et obœdiéntiam?

Electus:

Promítto.

Si verus electus est religiosus, Episcopus dicit:

Promíttis Epíscopo diœcesáno necnon legítimo Superióri tuo reveréntiam et obœdiéntiam?

Electus:


Promítto.

Episcopus semper concludit:


Qui cœpit in te opus bonum, Deus, ipse perfíciat.

Supplicatio litanica


272. Deinde omnes surgunt. Episcopus, deposita mitra, stans manibus iunctis versus ad populum, dicit invitatorium:




Orémus, di- lectíssimi, De- um Patrem omnipo-téntem, ut



super hos fámu- los su- os, quos in sacros Ordines di- a-co-




ná-tus et presby-te-rá-tus digná-tur assúmere, benedicti- ó-



nis su- æ grá- ti- am cleménter effúndat.

Orémus, dilectíssimi, Deum Patrem omnipoténtem,
ut super hos fámulos suos,
quos in sacros Ordines diaconátus et presbyterátus dignátur assúmere,
benedictiónis suæ grátiam cleménter effúndat.

273. Tunc electi procumbunt et canuntur litaniæ, omnibus respondentibus; quod diebus dominicis necnon tempore paschali fit omnibus stantibus, ceteris autem diebus flexis genibus. Quo in casu diaconus admonet:



Flectámus génu- a.

In litaniis addi possunt suis locis aliqua nomina Sanctorum, ex. gr. Patroni, Titularis ecclesiæ, Fundatoris, Patroni eorum qui Ordinationem recipiunt, aut aliquæ invocationes magis aptæ singulis circumstantiis.

Sanctorum cognomina, inter parentheses posita, opportune omittuntur, quando litaniæ latina lingua canuntur.

Kýrie, eléison.
Kýrie, eléison.

Christe, eléison.
Christe, eléison.

Kýrie, eléison.
Kýrie, eléison.

Sancta María, Mater Dei,	ora pro nobis.
Sancte Míchael,	ora pro nobis.
Sancti Angeli Dei,	oráte pro nobis.
Sancte Ioánnes Baptísta,	ora pro nobis.
Sancte Ioseph,	ora pro nobis.
Sancti Petre et Paule,	oráte pro nobis.
Sancte Andréa,	ora pro nobis.
Sancte Ioánnes,	ora pro nobis.
Sancta María Magdaléna,	ora pro nobis.
Sancte Stéphane,	ora pro nobis.
Sancte Ignáti Antiochéne,	ora pro nobis.
Sancte Lauréntí,	ora pro nobis.
Sancte Vincénti,	ora pro nobis.

Sanctæ Perpétua et Felícitas, oráte pro nobis.
Sancta Agnes, ora pro nobis.
Sancte Gregóri, ora pro nobis.
Sancte Augustíne, ora pro nobis.
Sancte Athanási, ora pro nobis.
Sancte Basíli, ora pro nobis.
Sancte Ephræm, ora pro nobis.
Sancte Martíne, ora pro nobis.
Sancte Benedícte, ora pro nobis.
Sancte Francísce, ora pro nobis.
Sancte Domínice, ora pro nobis.
Sancte Francísce (Xavier), ora pro nobis.
Sancte Ioánnes María (Vianney), ora pro nobis.
Sancta Catharína (Senensis), ora pro nobis.
Sancta Terésia a Iesu, ora pro nobis.
Omnes Sancti et Sanctæ Dei, oráte pro nobis.
Propítius esto, líbera nos, Dómine.
Ab omni malo, líbera nos, Dómine.
Ab omni peccáto, líbera nos, Dómine.
A morte perpétua, líbera nos, Dómine.
Per incarnatiónem tuam, líbera nos, Dómine.
Per mortem et resurrectiónem tuam, líbera nos, Dómine.
Per effusiónem Spíritus Sancti, líbera nos, Dómine.
Peccatóres, te rogámus, audi nos.
Ut Ecclésiam tuam sanctam régere et conserváre dignéris, te rogámus, audi nos.
Ut domnum apostólicum et omnes ecclesiásticos órdines in sancta religióne conserváre dignéris, te rogámus, audi nos.
Ut hos eléctos benedícere dignéris, te rogámus, audi nos.
Ut hos eléctos benedícere et sanctificáre dignéris, te rogámus, audi nos.
Ut hos eléctos benedícere et sanctificáre et consecráre dignéris, te rogámus, audi nos.


Ut cunctis pópulis pacem et veram concórdiam donáre dignéris, te rogámus, audi nos.
Ut ómnibus in tribulatióne versántibus misericórdiam tuam largíri dignéris, te rogámus, audi nos.
Ut nosmetípsos in tuo sancto servítio confortáre et conserváre dignéris, te rogámus, audi nos.
Iesu, Fili Dei vivi, te rogámus, audi nos.


Christe, audi nos.
Christe, audi nos.


Christe, exáudi nos.
Christe, exáudi nos.


274. Litaniarum cantu expleto, Episcopus stans, manibus extensis, dicit:
















Omnes:



Diaconus, si casus fert, admonet:



Dómine Deus, preces nostras cleménter exáudi,
ut, quæ nostro sunt gerénda offício,
tuo prosequáris benígnus auxílio;
et quos sacris ministériis exsequéndis
pro nostra intellegéntia crédimus offeréndos,
tua benedictióne sanctífica.
Per Christum Dóminum nostrum.

Omnes:

Amen.

Diaconus, si casus fert, admonet:

Leváte.

Omnes surgunt. Electi ad Ordinem presbyteratus recedunt et fit Ordinatio diaconorum.

Ordinatio diaconorum

Impositio manuum et Prex Ordinationis ad diaconatum

275. Unusquisque electorum ad Ordinem diaconatus accedit ad Episcopum stantem ante sedem cum mitra, et coram eo genua flectit.

276. Episcopus singulis imponit manus super caput, nihil dicens.

277. Electis ante ipsum genuflexis, Episcopus, dimissa mitra, dicit (pro cantu, cf. n. 207), extensis manibus, Precem Ordinationis:

Adésto, quǽsumus, omnípotens Deus,
gratiárum dator,
órdinum distribútor officiorúmque dispósitor,
qui in te manens ínnovas ómnia,
et sempitérna providéntia cuncta dispónens,
per verbum, virtútem sapientiámque tuam
Iesum Christum, Fílium tuum, Dóminum nostrum,
síngulis quibúsque tempóribus aptánda dispénsas.

Cuius corpus, Ecclésiam tuam,
cæléstium gratiárum varietáte distínctam
suorúmque conéxam distinctióne membrórum,
compáge mirábili per Spíritum Sanctum unítam,
in augméntum templi novi créscere dilataríque largíris,
sacris munéribus trinos gradus ministrórum
nómini tuo servíre constítuens,
sicut iam ab inítio Levi fílios elegísti,
ad prióris tabernáculi ministérium expléndum.

Sic in Ecclésiæ tuæ exórdiis
Apóstoli Fílii tui, Spíritu Sancto auctóre,
septem viros boni testimónii delegérunt,
qui eos in cotidiáno ministério adiuvárent,
ut ipsi oratióni et prædicatióni verbi
abundántius possent instáre,
et eléctis illis viris
per oratiónem et manus impositiónem
mensárum ministérium commisérunt.

Super hos quoque fámulos tuos,
quǽsumus, Dómine, placátus inténde,
quos tuis sacris altáribus servitúros
in offícium diacónii supplíciter dedicámus.

Emítte in eos, Dómine, quǽsumus,
Spíritum Sanctum,
quo in opus ministérii fidéliter exsequéndi
múnere septifórmis tuæ grátiæ roboréntur.

Abúndet in eis evangélicæ forma virtútis,
diléctio sine simulatióne,
sollicitúdo infirmórum ac páuperum,
auctóritas modésta,
innocéntiæ púritas
et spirituális observántia disciplínæ.

In móribus eórum præcépta tua fúlgeant,
ut suæ conversatiónis exémplo
imitatiónem sanctæ plebis acquírant,
et, bonum consciéntiæ testimónium præferéntes,

in Christo firmi et stábiles persevérent,
quátenus, Fílium tuum,
qui non venit ministrári sed ministráre,
imitántes in terris,
cum ipso regnáre mereántur in cælis.

Qui tecum vivit et regnat
in unitáte Spíritus Sancti, Deus,
per ómnia sǽcula sæculórum.

Omnes:

Amen.

Traditio libri Evangeliorum

278. Finita Prece Ordinationis, omnes sedent. Episcopus accipit mitram. Ordinati surgunt, et alii diaconi vel alii ministri imponunt eis stolam more diaconali et eos induunt dalmatica.

279. Interim cani potest antiphona (cf. supra n. 208):


Beáti qui hábitant
in domo tua, Dómine (T. P. Allelúia).

cum Psalmo 83 (84), Quam diléctа tabernácula tua, Dómine, cf. supra n. 209, vel alius aptus cantus eiusdem generis qui conveniat antiphonæ, præsertim quando Psalmus 83 (84) tamquam psalmus responsorius in liturgia verbi adhibitus fuerit.


280. Ordinati, vestibus diaconalibus induti, accedunt ad Episcopum, qui librum Evangeliorum unicuique ante se genuflexo, in manus tradit dicens:

Accipe Evangélium Christi,
cuius præco efféctus es;
et vide, ut quod légeris credas,
quod credíderis dóceas,
quod docúeris imitéris.

281. Interim cani potest antiphona:



[VII] Annunti- á- te Evangé- li- um omni cre- a- tú-ræ



T. P. Alle-lú- ia. E u o u a e.

cum Psalmo 116 (117) vel alius cantus aptus eiusdem generis qui conveniat antiphonæ.

Psalmus 116 (117)

Laudáte Dóminum, omnes gentes, *
collaudáte eum, omnes pópuli.
Quóniam confirmáta est super nos
misericórdia eius, *
et véritas Dómini manet in ætérnum.

(Repetitur antiphona)

Non dicitur Glória Patri.

Deinde diaconi ordinati recedunt ad loca sua.

Ordinatio presbyterorum

Oratio supplicationis

282. Tunc accedunt electi ad Ordinem presbyteratus. Omnes surgunt. Episcopus, deposita mitra, stans versus ad populum dicit (pro cantu, cf. n. 126), manibus iunctis:

Orémus, dilectíssimi, Deum Patrem omnipoténtem,
ut super hos fámulos suos,
quos in presbytérii munus elégit,
cæléstia dona multíplicet.

Et omnes, per aliquod temporis spatium, silentio orant.

Impositio manuum et Prex Ordinationis ad presbyteratum

283. Unusquisque electorum accedit ad Episcopum stantem ante sedem cum mitra, et coram eo genua flectit.

284. Episcopus singulis electis imponit manus super caput, nihil dicens.

Postquam Episcopus manus imposuerit, omnes presbyteri adstantes, stolis induti, singulis electis manus imponunt, nihil dicentes.

Post impositionem autem manuum presbyteri circa Episcopum manent usquedum Prex Ordinationis finiatur, ita tamen ut actio a fidelibus bene conspici queat.

285. Electis ante ipsum genuflexis, Episcopus, dimissa mitra, dicit (pro cantu, cf. n. 131), extensis manibus, Precem Ordinationis:

Adésto, Dómine, sancte Pater,
omnípotens ætérne Deus,
humánæ dignitátis auctor
et distribútor ómnium gratiárum,
per quem profíciunt univérsa,
per quem cuncta firmántur,
qui ad efformándum pópulum sacerdotálem
minístros Christi Fílii tui,
virtúte Spíritus Sancti,
in eódem divérsis ordínibus dispónis.

Iam in prióre Testaménto
offícia sacraméntis mýsticis institúta crevérunt:
ut cum Móysen et Aaron
regéndo et sanctificándo pópulo præfecísses,
ad eórum societátis et óperis adiuméntum
sequéntis órdinis et dignitátis viros elígeres.

Sic in erémo,
per septuagínta virórum prudéntium mentes
Móysi spíritum propagásti;
quibus ille adiutóribus usus
pópulum tuum facílius gubernávit.

Sic in fílios Aaron
patérnæ plenitúdinis abundántiam transfudísti,
ut ad sacrifícia tabernáculi,
quæ umbra erant futurórum bonórum,
méritum suffíceret secúndum Legem sacerdótum.

Novíssime vero, Pater sancte,
Fílium tuum in mundum misísti,
Apóstolum et Pontíficem confessiónis nostræ Iesum.

Ipse tibi per Spíritum Sanctum
semetípsum óbtulit immaculátum,
et Apóstolos suos, sanctificátos in veritáte,
missiónis suæ partícipes effécit;
quibus cómites addidísti
ad opus salútis per totum mundum
nuntiándum atque exercéndum.

Nunc étiam infirmitáti nostræ, Dómine, quǽsumus,
hos adiutóres largíre
quibus in apostólico sacerdótio fungéndo indigémus.

Da, quǽsumus, omnípotens Pater,
in hos fámulos tuos presbytérii dignitátem;
ínnova in viscéribus eórum
Spíritum sanctitátis;
accéptum a te, Deus,

secúndi mériti munus obtíneant,
censurámque morum
exémplo suæ conversatiónis insínuent.

Sint probi cooperatóres Ordinis nostri,
ut verba Evangélii,
eórum prædicatióne
in córdibus hóminum,
Sancti Spíritus grátia, fructíficent
et usque ad extrémum terræ pervéniant.

Sint nobíscum
fidéles dispensatóres mysteriórum tuórum,
ut pópulus tuus
per lavácrum regeneratiónis innovétur
et de altári tuo reficiátur,
utque reconciliéntur peccatóres
et subleventur infírmi.

Sint nobis iuncti, Dómine,
ad tuam deprecándam misericórdiam
pro pópulo ipsis commísso
atque pro univérso mundo.

Sic natiónum plenitúdo, in Christo congregáta,
in unum pópulum tuum,
in Regno tuo consummándum,
convertátur.

Per Dóminum nostrum Iesum Christum, Fílium tuum,
qui tecum vivit et regnat
in unitáte Spíritus Sancti, Deus,
per ómnia sǽcula sæculórum.

Omnes:

Amen.

Unctio manuum et traditio panis et vini

286. Finita Prece Ordinationis, omnes sedent. Episcopus accipit mitram. Ordinati surgunt. Presbyteri adstantes revertuntur ad sua loca; aliqui tamen ex illis unicuique Ordinato disponunt stolam more presbyterali et eum induunt casula.

287. Postea Episcopus assumit gremiale linteum et, populo pro opportunitate commonefacto, inungit sacro chrismate palmas manuum uniuscuiusque Ordinati ante se genuflexi, dicens:

Dóminus Iesus Christus,
quem Pater unxit Spíritu Sancto et virtúte,
te custódiat
ad pópulum christiánum sanctificándum
et ad sacrifícium Deo offeréndum.

Deinde Episcopus et Ordinati manus lavant.

288. Dum Ordinati induuntur stola et casula, et dum Episcopus illis manus inungit, canitur antiphona (cf. supra n. 134):

Sacérdos in ætérnum, Christus Dóminus
secúndum órdinem Melchísedech,
panem et vinum óbtulit (T. P. Allelúia).

cum Psalmo 109 (110): Dixit Dóminus Dómino meo, cf. supra n. 134, vel alius aptus cantus eiusdem generis qui conveniat antiphonæ, præsertim quando Psalmus 109 (110) tamquam psalmus responsorius in liturgia verbi adhibitus fuerit.

289. Deinde fideles panem super patenam et calicem, vino et aqua in eum inmissis, pro Missæ celebratione afferunt.

Diaconus ea recipit et affert Episcopo, qui ipsa unicuique ordinato presbytero, ante se genuflexo, in manus tradit, dicens:

Accipe oblatiónem plebis sanctæ
Deo offeréndam.
Agnósce quod ages,
imitáre quod tractábis,
et vitam tuam mystério domínicæ crucis confórma.

290. Demum Episcopus singulis Ordinatis, prius presbyteris postea diaconis, dat osculum, dicens:

Pax tibi.

Ordinatus respondet:

Et cum spíritu tuo.

Similiter omnes vel saltem nonnulli presbyteri præsentes osculo significare possunt presbyteros nuper ordinatos sibi in Ordine consociatos esse, et omnes vel saltem nonnulli diaconi respective quoad diaconos nuper ordinatos.

291. Interim cani potest responsorium (cf. n. 137):

℟. Iam non dicam vos servos, sed amícos meos, quia ómnia cognovístis, quæ operátus sum in médio vestri, (allelúia).

* Accípite Spíritum Sanctum in vobis Paráclitum. † Ille est, quem Pater mittet vobis, (allelúia).

℣. Vos amíci mei estis, si fecéritis quæ ego præcípio vobis. * Accípite.

℣. Glória Patri, et Fílio, et Spirítui Sancto.
† Ille est.

vel antiphona:

Vos amíci mei estis,
si fecéritis quæ præcípio vobis,
dicit Dóminus (T. P. Allelúia).

cum Psalmo 99 (100): Iubiláte Dómino, omnis terra, cf. supra n. 137, vel alius aptus cantus eiusdem generis qui conveniat responsorio vel antiphonæ, præsertim quando Psalmus 99 (100) tamquam psalmus responsorius in liturgia verbi adhibitus fuerit.

292. Missa prosequitur more solito. Symbolum dicitur secundum rubricas; oratio universalis omittitur.

Liturgia eucharistica

293. Liturgia eucharistica concelebratur more solito; attamen omittitur præparatio calicis. Unus ex ordinatis diaconis ministrat Episcopo ad altare.

294. In Prece eucharistica, Episcopus vel unus ex presbyteris concelebrantibus mentionem presbyterorum et diaconorum modo ordinatorum facit secundum has formulas:

a) In Prece eucharistica I, Episcopus dicit Hanc ígitur proprium:

Hanc ígitur oblatiónem servitútis nostræ,
sed et cunctæ famíliæ tuæ,
quam tibi offérimus étiam pro fámulis tuis,
quos ad diaconátus et presbyterátus Ordines
promovére dignátus es,
quǽsumus, Dómine, ut placátus accípias,
et propítius in eis tua dona custódias,
ut, quod divíno múnere consecúti sunt,
divínis effectibus exsequántur.
(Per Christum Dóminum nostrum. Amen.)

b) In intercessionibus Precis eucharisticæ II, post verba ... congregémur in unum dicitur:

Recordáre, Dómine, Ecclésiæ tuæ toto orbe diffúsæ,
ut eam in caritáte perfícias
una cum Papa nostro N. et Epíscopo nostro N.
Recordáre quoque istórum famulórum tuórum,
quos hódie diáconos vel presbýteros Ecclésiæ
providére voluísti,
et univérsi cleri.
Meménto étiam fratrum nostrórum ...

c) In intercessionibus Precis eucharisticæ III, post verba ... ad totíus mundi pacem atque salútem dicitur:

Ecclésiam tuam, peregrinántem in terra,
in fide et caritáte firmáre dignéris
cum fámulo tuo Papa nostro N. et Epíscopo nostro N.,

cum episcopáli Ordine et his fámulis tuis,
qui hódie diáconi vel presbýteri Ecclésiæ ordináti sunt,
et univérso clero,
et omni pópulo acquisitiónis tuæ.
Votis huius famíliæ ...

d) In intercessionibus Precis eucharisticæ IV, post verba ... ad laudem glóriæ tuæ dicitur:

Nunc ergo, Dómine, ómnium recordáre,
pro quibus tibi hanc oblatiónem offérimus:
in primis fámuli tui, Papæ nostri N.,
Epíscopi nostri N.,
et Episcopórum Ordinis univérsi,
et istórum famulórum tuórum,
quos hódie ad pópuli tui servítium
diaconále vel presbyterále
elígere dignátus es,
sed et totíus cleri;
recordáre quoque offeréntium
et circumstántium,
et cuncti pópuli tui,
et ómnium, qui te quærunt corde sincéro.
Meménto étiam illórum ...

295. Diaconi modo ordinati communicantur sub utraque specie. Diaconus Episcopo ministrans fungitur ministerio calicis.

296. Parentes et propinqui Ordinatorum Communionem sub utraque specie recipere possunt.

297. Aliqui e diaconis modo ordinatis Episcopum adiuvant in distribuenda Communione fidelibus.

298. Distributione Communionis expleta, cani potest cantus gratiarum actionis. Cantum sequitur oratio post Communionem.

Ritus conclusionis

299. Loco benedictionis consuetæ dici potest benedictio quæ sequitur. Diaconus dicere potest invitatorium:

Inclináte vos ad benedictiónem.

vel aliis verbis expressum.

Deinde Episcopus, manibus super Ordinatos et populum extensis, profert benedictionem:

Deus, Ecclésiæ institútor et rector,
sua vos constánter tueátur grátia,
ut múnera vestra fidéli ánimo persolvátis.

Omnes:

Amen.

Episcopus:

Ipse qui diáconis munus dedit
prædicándi Evangélium,
altári et homínibus inserviéndi
vos fáciat in mundo
testes eius ardéntes ac minístros caritátis.

Omnes:

Amen.

Episcopus:

Et vos presbýteros fáciat veros pastóres,
qui fidélibus tríbuant panem vivum et verbum vitæ,
ut magis crescant in unitáte córporis Christi.

Omnes:

Amen.

Episcopus:

Et vos omnes, qui hic simul adéstis,
benedícat omnípotens Deus,
Pater, ✠ et Fílius, ✠ et Spíritus ✠ Sanctus.

Omnes:

Amen.

300. Data benedictione et populo a diacono dimisso, fit processio ad secretarium more consueto.

RITUS ORDINATIONIS UNIUS DIACONI ET ORDINATIONIS UNIUS PRESBYTERI

Ritus initiales et Liturgia verbi

301. Omnibus rite dispositis, ordinatur processio per ecclesiam ad altare modo consueto. Ordinandus diaconus præcedit diaconum librum Evangeliorum deferentem et alios diaconos, si adsint. Ordinandus vero presbyter sequitur alios diaconos et præcedit presbyteros concelebrantes. Episcopus solus incedit ultimus et paulisper retro eum duo diaconi ei assistentes. Cum ad altare pervenerint, facta debita reverentia, omnes accedunt ad loca sibi assignata.

Interim canitur antiphona ad introitum cum suo psalmo vel alius cantus aptus.

302. Ritus initiales et liturgia verbi peraguntur more consueto usque ad Evangelium inclusive.

Ordinatio

303. Deinde incipit Ordinatio.

Episcopus accedit, si opus est, ad sedem pro Ordinatione paratam, et fit præsentatio candidatorum.

Electio candidati ad diaconatum

304. Ordinandus diaconus vocatur a diacono hoc modo:

Accédat qui ordinándus est diáconus.

Et mox ab eodem nominatur; et vocatus dicit:

Adsum,

et accedit ad Episcopum, cui reverentiam facit.

305. Ordinando coram Episcopo stante, presbyter ab Episcopo deputatus dicit:

Reverendíssime Pater, póstulat sancta Mater Ecclésia, ut hunc fratrem nostrum ad onus diacónii órdines.

Episcopus illum interrogat, dicens:

Scis illum dignum esse?

Ille respondet:

Ex interrogatióne pópuli christiáni et suffrágio virórum ad quos pértinet testíficor illum dignum esse invéntum.

Episcopus:

Auxiliánte Dómino Deo, et Salvatóre nostro Iesu Christo, elígimus hunc fratrem nostrum in Ordinem diacónii.

Omnes dicunt:

Deo grátias,

vel alio modo, iuxta Prænotanda generalia n. 11 statuto, electioni assentiunt.

Electio candidati ad presbyteratum

306. Ordinandus presbyter vocatur a diacono hoc modo:

Accédat qui ordinándus est présbyter.

Et mox ab eodem nominatur; et vocatus dicit:

Adsum,

et accedit ad Episcopum, cui reverentiam facit.

307. Ordinando coram Episcopo stante, presbyter ab Episcopo deputatus dicit:

Reverendíssime Pater, póstulat sancta Mater Ecclésia, ut hunc fratrem nostrum ad onus presbytérii órdines.

Episcopus illum interrogat, dicens:

Scis illum dignum esse?

Ille respondet:

Ex interrogatióne pópuli christiáni et suffrágio virórum ad quos pértinet testíficor illum dignum esse invéntum.

Episcopus:

Auxiliánte Dómino Deo, et Salvatóre nostro Iesu Christo, elígimus hunc fratrem nostrum in Ordinem presbytérii.

Omnes dicunt:

Deo grátias,

vel alio modo, iuxta Prænotanda generalia n. 11 statuto, electioni assentiunt.

Homilia

308. Tunc Episcopus, omnibus sedentibus, homiliam habet, in qua, initium sumens e textu lectionum quæ in liturgia verbi lectæ sunt, populum atque electos de munere diaconorum et presbyterorum alloquitur, rationem habendo etiam de ordinandi diaconi condicione, utrum nempe agatur de electo uxorato, vel de electo non uxorato. Quod facere potest his vel similibus verbis:

Dilectíssimi, cum isti fratres nostri mox ad Ordinem diaconórum et presbyterórum sint provehéndi, atténte cogitáte ad qualem ministérii gradum sint ascensúri. Christo, summo Magístro, Sacerdóti et Pastóri, isti insérvient, cuius ministério corpus eius, idest Ecclésia, in pópulum Dei, et templum Spíritus Sancti, hic in terris indesinénter ædificátur. Sacerdótio Episcopórum coniungéndi, présbyter et diáconus consecrabúntur ad Evangélium prædicándum, pópulum Dei sanctificándum et pascéndum cultúmque divínum, in domínico præsértim sacrifício, celebrándum. In his ómnibus sic agant, Deo adiuvánte, ut eos vere discípulos illíus cognoscátis, qui non venit ministrári sed ministráre.

Tibi autem, fili dilectíssime, ad Ordinem diacónii provehénde, Dóminus dedit exémplum, ut, quemádmodum ipse fecit, ita et tu fácias.

Diáconus ígitur, id est Iesu Christi miníster, qui in médio discipulórum quasi minístrans appáruit, Dei voluntátem ex ánimo fáciens, in caritáte, sicut Dómino ita et homínibus

cum lætítia servi. Cum vero nemo duóbus dóminis possit servíre, consídera omnem immundítiam aut avarítiam idolórum esse servitútem.

Si ordinatur ad diaconatum electus non uxoratus.

Cum ad Ordinem diaconátus líbere accédis, sicut illos quondam ab Apóstolis ad ministérium caritátis eléctos, virum boni testimónii Spíritu Sancto et sapiéntia plenum te esse opórtet. Ministérium tuum, in cælibátu constitútus, exercébis: est enim signum simul et stímulus caritátis pastorális atque peculiáris fons fecunditátis in mundo. Sincéra enim erga Christum Dóminum caritáte compúlsus et perfécta devotióne in hoc statu vivens, Christo facílius indivíso corde adhærébis, Dei et hóminum servítio libérius vacábis et óperi regeneratiónis supérnæ expedítius ministrábis. In fide radicátus et fundátus, éxhibe te immaculátum et irreprehensíbilem coram Deo et homínibus, sicut decet Christi minístrum et dispensatórem mysteriórum Dei, nec te a spe Evangélii avérti sinas, cuius non tantum audítor sed et miníster esse debes. Mystérium fídei in consciéntia pura habens, verbum Dei, quod ore prǽdicas, opéribus tuis osténde, ut plebs christiána, Spíritu vivificáta, fiat pura oblátio, Deo accépta, et tu, in novíssimo die Dómino occúrrens, ab eo audíre váleas: « Euge, serve bone et fidélis, intra in gáudium Dómini tui ».

Si ordinatur ad diaconatum electus uxoratus.

Sicut illos quondam ab Apóstolis ad ministérium caritátis eléctos, virum boni testimónii Spíritu Sancto et sapiéntia plenum te esse opórtet. In fide ergo radicátus et fundátus, éxhibe te immaculátum et irreprehensíbilem coram Deo et homínibus, sicut decet Christi minístrum et dispen-

satórem mysterióum Dei, nec te a spe Evangélii avérti sinas, cuius non tantum audítor sed et minister esse debes. Mystérium fídei in consciéntia pura habens, verbum Dei, quod ore prǽdicas, opéribus tuis osténde, ut plebs christiána, Spíritu vivificáta, fiat pura oblátio, Deo accépta, et tu, in novíssimo die Dómino occúrrens, ab eo audíre váleas: « Euge, serve bone et fidélis, intra in gáudium Dómini tui ».

Tu autem, fili dilectíssime, ad Ordinem presbytérii provehénde, sacro docéndi múnere in Christo Magístro pro tua parte fungéris. Verbum Dei ómnibus dispénsa, quod ipse cum gáudio accepísti. In lege Dómini méditans, vide ut quod légeris credas, quod credíderis dóceas, quod docúeris imitéris.

Sit ergo doctrína tua pábulum pópulo Dei, sit odor vitæ tuæ delectaméntum Christi fidélibus, ut verbo et exémplo ædífices domum, id est Ecclésiam Dei.

Múnere item sanctificándi in Christo fungéris. Ministério enim tuo sacrifícium spirituále fidélium perficiétur, Christi sacrifício coniúnctum, quod una cum iis per manus tuas super altáre incruénter in celebratióne mysterióum offerétur. Agnósce ergo quod agis, imitáre quod tractas, quátenus mortis et resurrectiónis Dómini mystérium célebrans, membra tua a vítiis ómnibus mortificáre et in novitáte vitæ ambuláre stúdeas.

Baptísmo hómines Dei pópulo ággregans, Pæniténtiæ sacraménto peccáta in nómine Christi et Ecclésiæ dimíttens, óleo sancto infírmos súblevans, ritus sacros célebrans, laudes cum gratiárum actióne et précibus per horas diéi ófferens non tantum pro pópulo Dei, sed et pro mundo univérso, memíneris te ex homínibus esse assúmptum et pro homínibus constitútum in iis quæ sunt ad Deum. Munus ergo Christi

Sacerdótis perénni gáudio in vera caritáte exple, non quæ tua sunt, sed quæ Iesu Christi quærens.

Múnere dénique Christi Cápitis et Pastóris pro tua parte fungens, fili caríssime, Epíscopo iunctus et súbditus, fidéles in unam famíliam adunáre stude, ut eos per Christum in Spíritu Sancto ad Deum Patrem addúcere váleas. Boni Pastóris exémplum ante óculos semper habe, qui non venit ministrári, sed ministráre, quique venit quǽrere et salvum fácere quod períerat.

Promissio electi diaconi

309. Post homiliam electus diaconus solus surgit et stat coram Episcopo, qui eum interrogat his verbis:

Fili caríssime, priúsquam ad Ordinem diacónii accédas, te opórtet coram pópulo propósitum de suscipiéndo múnere profitéri.

Vis ad ministérium Ecclésiæ per impositiónem mánuum meárum et donum Spíritus Sancti consecrári?

Electus respondet:

Volo.

Episcopus:

Vis munus diacónii in adiutórium Ordinis sacerdotális et in proféctum pópuli christiáni húmili caritáte explére?

Electus:

Volo.

Episcopus:

Vis mystérium fídei, ut ait Apóstolus, in consciéntia pura habére, et hanc fidem secúndum Evangélium et traditiónem Ecclésiæ verbo et ópere prædicáre?

Electus:

Volo.

Sequens interrogatio facienda est etiam professo religioso. Omittitur vero si ordinatur electus uxoratus.

Episcopus:

Vis in signum ánimi tui Christo Dómino déditi, propter Regnum cælórum in Dei hominúmque servítio propósitum cælibátus perpétuo custodíre?

Electus non uxoratus:

Volo.

Episcopus:

Vis spíritum oratiónis modo tuo vivéndi próprium custodíre et augére, et in hoc spíritu Liturgíam Horárum, iuxta condiciónem tuam, una cum pópulo Dei atque pro eo, immo pro univérso mundo, fidéliter implére?

Electus:

Volo.

Episcopus:

Vis conversatiónem tuam exémplo Christi, cuius Corpus et Sánguinem in altári tractábis, indesinénter conformáre?

Electus:

Volo, Deo auxiliánte.

310. Deinde electus diaconus accedit ad Episcopum et, coram eo genuflexus, ponit manus suas iunctas inter manus Episcopi, nisi iuxta Prænotanda generalia n. 11 aliter statutum est.

Episcopus interrogat electum, dicens, si eius est Ordinarius:

Promíttis mihi et successóribus meis reveréntiam et obœdiéntiam?

Electus:

Promítto.

Si vero Episcopus non est eius Ordinarius, dicit:

Promíttis Ordinário tuo reveréntiam et obœdiéntiam?

Electus:

Promítto.

Si vero electus est religiosus, Episcopus dicit:

Promíttis Epíscopo diœcesáno necnon legítimo Superióri tuo reveréntiam et obœdiéntiam?

Electus:

Promítto.

Episcopus semper concludit:

Qui cœpit in te opus bonum, Deus, ipse perfíciat.

Et electus diaconus ad locum suum redit ac sedet.

Promissio electi presbyteri

311. Post promissionem electi diaconi, electus presbyter solus surgit et stat coram Episcopo, qui eum interrogat his verbis:

Fili caríssime, priúsquam ad Ordinem presbytérii accédas, te opórtet coram pópulo propósitum de suscipiéndo múnere profitéri.

Vis munus sacerdótii in gradu presbyterórum ut probus Episcopórum Ordinis cooperátor, in pascéndo grege domínico, duce Spíritu Sancto, indesinénter explére?

Electus respondet:

Volo.

Episcopus:

Vis ministérium verbi, in prædicatióne Evangélii et expositióne fídei cathólicæ, digne et sapiénter explére?

Electus:

Volo.

Episcopus:

Vis mystéria Christi ad laudem Dei et sanctificatiónem pópuli christiáni, secúndum Ecclésiæ traditiónem, præsértim in Eucharístiæ sacrifício et sacraménto reconciliatiónis, pie et fidéliter celebráre?

Electus:

Volo.

Episcopus:

Vis nobíscum misericórdiam divínam pro pópulo tibi commísso imploráre orándi mandáto indesinénter instans?

Electus:

Volo.

Episcopus:

Vis Christo summo Sacerdóti, qui seípsum pro nobis hóstiam puram óbtulit Patri, árctius in dies coniúngi et cum eo te ipsum, pro salúte hóminum, Deo consecráre?

Electus:

Volo, Deo auxiliánte.

312. Deinde electus accedit ad Episcopum et, coram eo genuflexus, ponit manus suas iunctas inter manus Episcopi, nisi iuxta Prænotanda generalia n. 11 aliter statutum est.

Episcopus interrogat electum, dicens, si eius est Ordinarius:

Promíttis mihi et successóribus meis reveréntiam et obœdiéntiam?

Electus:

Promítto.

Si vero Episcopus non est eius Ordinarius, dicit:

Promíttis Ordinário tuo reveréntiam et obœdiéntiam?

Electus:

Promítto.

Si vero electus est religiosus, Episcopus dicit:

Promíttis Epíscopo diœcesáno necnon legítimo Superióri tuo reveréntiam et obœdiéntiam?

Electus:

Promítto.

Episcopus semper concludit:

Qui cœpit in te opus bonum, Deus, ipse perfíciat.

Supplicatio litanica

313. Deinde omnes surgunt. Episcopus, deposita mitra, stans manibus iunctis versus ad populum, dicit invitatorium (pro cantu, cf. n. 272).

Orémus, dilectíssimi, Deum Patrem omnipoténtem,
ut super hos fámulos suos,
quos in sacros Ordines diaconátus et presbyterátus dignátur assúmere,
benedictiónis suæ grátiam cleménter effúndat.

314. Tunc electi procumbunt et canuntur litaniæ, omnibus respondentibus; quod diebus dominicis necnon tempore paschali fit omnibus stantibus, ceteris autem diebus flexis genibus. Quo in casu diaconus admonet:

Flectámus génua.

In litaniis addi possunt suis locis aliqua nomina Sanctorum, ex. gr. Patroni, Titularis ecclesiæ, Fundatoris, Patroni eorum qui Ordinationem recipiunt, aut aliquæ invocationes magis aptæ singulis circumstantiis.

Sanctorum cognomina, inter parentheses posita, opportune omittuntur, quando litaniæ latina lingua canuntur.

Cantores incipiunt litanias ut supra n. 273.

315. Litaniarum cantu expleto, Episcopus stans, manibus extensis, dicit (pro cantu, cf. n. 274):

Dómine Deus, preces nostras cleménter exáudi,
ut, quæ nostro sunt gerénda offício,
tuo prosequáris benígnus auxílio;
et quos sacris ministériis exsequéndis
pro nostra intellegéntia crédimus offeréndos,
tua benedictióne sanctífica.
Per Christum Dóminum nostrum.

Omnes:

Amen.

Diaconus, si casus fert, admonet:

Leváte.

Omnes surgunt. Electus ad Ordinem presbyteratus recedit et fit Ordinatio diaconi.

Ordinatio diaconi

Impositio manuum et Prex Ordinationis ad diaconatum

316. Electus ad Ordinem diaconatus accedit ad Episcopum stantem ante sedem cum mitra et coram eo genua flectit.

317. Episcopus ei imponit manus super caput, nihil dicens.

318. Electo ante ipsum genuflexo, Episcopus, dimissa mitra, dicit (pro cantu, cf. n. 207, mutato tamen numero plurali), extensis manibus, Precem Ordinationis:

Adésto, quǽsumus, omnípotens Deus,
gratiárum dator,
órdinum distribútor officiorúmque dispósitor,
qui in te manens ínnovas ómnia,
et sempitérna providéntia cuncta dispónens,
per verbum, virtútem sapientiámque tuam
Iesum Christum, Fílium tuum, Dóminum nostrum,
síngulis quibúsque tempóribus aptánda dispénsas.

Cuius corpus, Ecclésiam tuam,
cæléstium gratiárum varietáte distínctam
suorúmque conéxam distinctióne membrórum,
compáge mirábili per Spíritum Sanctum unítam,
in augméntum templi novi créscere dilataríque largíris,
sacris munéribus trinos gradus ministrórum
nómini tuo servíre constítuens,
sicut iam ab inítio Levi fílios elegísti,
ad prióris tabernáculi ministérium expléndum.

Sic in Ecclésiæ tuæ exórdiis
Apóstoli Fílii tui, Spíritu Sancto auctóre,
septem viros boni testimónii delegérunt,
qui eos in cotidiáno ministério adiuvárent,
ut ipsi oratióni et prædicatióni verbi
abundántius possent instáre,
et eléctis illis viris
per oratiónem et manus impositiónem
mensárum ministérium commisérunt.

Super hunc quoque fámulum tuum,
quǽsumus, Dómine, placátus inténde,
quem tuis sacris altáribus servitúrum
in offícium diacónii supplíciter dedicámus.

Emítte in eum, Dómine, quǽsumus,
Spíritum Sanctum,
quo in opus ministérii fidéliter exsequéndi
múnere septifórmis tuæ grátiæ roborétur.

Abúndet in eo evangélicæ forma virtútis,
diléctio sine simulatióne,
sollicitúdo infirmórum ac páuperum,
auctóritas modésta,
innocéntiæ púritas
et spirituális observántia disciplínæ.

In móribus eius præcépta tua fúlgeant,
ut suæ conversatiónis exémplo
imitatiónem sanctæ plebis acquírat,
et, bonum consciéntiæ testimónium prǽferens,
in Christo firmus et stábilis persevéret,
quátenus, Fílium tuum,
qui non venit ministrári sed ministráre,
ímitans in terris,
cum ipso regnáre mereátur in cælis.

Qui tecum vivit et regnat
in unitáte Spíritus Sancti, Deus,
per ómnia sǽcula sæculórum.

Omnes:

Amen.

Traditio libri Evangeliorum

319. Finita Prece Ordinationis, omnes sedent. Episcopus accipit mitram. Ordinatus surgit, et diaconus vel minister imponit ei stolam more diaconali et eum induit dalmatica.

320. Interim cani potest antiphona:

Beáti qui hábitant
in domo tua, Dómine (T. P. Allelúia).

cum Psalmo 83 (84), Quam dilécta tabernácula tua, Dómine, cf. supra n. 209, vel alius aptus cantus eiusdem generis qui conveniat antiphonæ, præsertim quando Psalmus 83 (84) tamquam psalmus responsorius in liturgia verbi adhibitus fuerit.

321. Ordinatus, vestibus diaconalibus indutus, accedit ad Episcopum, qui librum Evangeliorum ei ante se genuflexo, in manus tradit dicens:

Accipe Evangélium Christi,
cuius præco efféctus es;
et vide, ut quod légeris credas,
quod credíderis dóceas,
quod docúeris imitéris.

322. Interim cani potest antiphona:

Annuntiáte Evangélium omni creatúræ (T. P. Allelúia).

cum Psalmo 116 (117) Laudáte Dóminum, cf. supra n. 281, vel alius cantus aptus eiusdem generis qui conveniat antiphonæ.

Deinde diaconus ordinatus recedit ad locum suum.

Ordinatio presbyteri

Oratio supplicationis

323. Tunc accedit electus ad Ordinem presbyteratus. Omnes surgunt. Episcopus, deposita mitra, stans versus ad populum dicit (pro cantu, cf. n. 126, mutato tamen numero plurali), manibus iunctis:

Orémus, dilectíssimi, Deum Patrem omnipoténtem,
ut super hunc fámulum suum,
quem in presbytérii munus elégit,
cæléstia dona multíplicet.

Et omnes, per aliquod temporis spatium, silentio orant.

Impositio manuum et Prex Ordinationis ad presbyteratum

324. Electus accedit ad Episcopum stantem ante sedem cum mitra et coram eo genua flectit.

325. Episcopus ei imponit manus super caput, nihil dicens.

Postquam Episcopus manus imposuerit, omnes presbyteri adstantes, stolis induti, electo manus imponunt, nihil dicentes.

Post impositionem autem manuum presbyteri circa Episcopum manent usquedum Prex Ordinationis finiatur, ita tamen ut actio a fidelibus bene conspici queat.

326. Electo ante ipsum genuflexo, Episcopus, dimissa mitra, dicit (pro cantu, cf. n. 131, mutato tamen numero plurali), extensis manibus, Precem Ordinationis:

Adésto, Dómine, sancte Pater,
omnípotens ætérne Deus,
humánæ dignitátis auctor
et distribútor ómnium gratiárum,
per quem profíciunt univérsa,
per quem cuncta firmántur,
qui ad efformándum pópulum sacerdotálem
minístros Christi Fílii tui,
virtúte Spíritus Sancti,
in eódem divérsis ordínibus dispónis.

Iam in prióre Testaménto
offícia sacraméntis mýsticis institúta crevérunt:
ut cum Móysen et Aaron
regéndo et sanctificándo pópulo præfecísses,
ad eórum societátis et óperis adiuméntum
sequéntis órdinis et dignitátis viros elígeres.

Sic in erémo,
per septuagínta virórum prudéntium mentes
Móysi spíritum propagásti;
quibus ille adiutóribus usus
pópulum tuum facílius gubernávit.

Sic in fílios Aaron
patérnæ plenitúdinis abundántiam transfudísti,
ut ad sacrifícia tabernáculi,
quæ umbra erant futurórum bonórum,
méritum suffíceret secúndum Legem sacerdótum.

Novíssime vero, Pater sancte,
Fílium tuum in mundum misísti,
Apóstolum et Pontíficem confessiónis nostræ Iesum.

Ipse tibi per Spíritum Sanctum
semetípsum óbtulit immaculátum,
et Apóstolos suos, sanctificátos in veritáte,
missiónis suæ partícipes effécit;
quibus cómites addidísti
ad opus salútis per totum mundum
nuntiándum atque exercéndum.

Nunc étiam infirmitáti nostræ, Dómine, quǽsumus,
hunc adiutórem largíre
quo in apostólico sacerdótio fungéndo indigémus.

Da, quǽsumus, omnípotens Pater,
in hunc fámulum tuum presbytérii dignitátem;
ínnova in viscéribus eius
Spíritum sanctitátis;
accéptum a te, Deus,
secúndi mériti munus obtíneat,
censurámque morum
exémplo suæ conversatiónis insínuet.

Sit probus cooperátor Ordinis nostri,
ut verba Evangélii,
eius prædicatióne
in córdibus hóminum,
Sancti Spíritus grátia, fructíficent
et usque ad extrémum terræ pervéniant.

Sit nobíscum
fidélis dispensátor mysteriórum tuórum,
ut pópulus tuus
per lavácrum regeneratiónis innovétur
et de altári tuo reficiátur,
utque reconciliéntur peccatóres
et sublevéntur infírmi.

Sit nobis iunctus, Dómine,
ad tuam deprecándam misericórdiam
pro pópulo ipsi commísso
atque pro univérso mundo.

Sic natiónum plenitúdo, in Christo congregáta,
in unum pópulum tuum,
in Regno tuo consummándum,
convertátur.

Per Dóminum nostrum Iesum Christum, Fílium tuum,
qui tecum vivit et regnat
in unitáte Spíritus Sancti, Deus,
per ómnia sæcula sæculórum.

Omnes:

Amen.

Unctio manuum et traditio panis et vini

327. Finita Prece Ordinationis, omnes sedent. Episcopus accipit mitram. Ordinatus surgit. Presbyteri adstantes revertuntur ad sua loca; aliquis tamen ex illis Ordinato disponit stolam more presbyterali et eum induit casula.

328. Postea Episcopus assumit gremiale linteum et, populo pro opportunitate commonefacto, inungit sacro chrismate palmas manuum Ordinati ante se genuflexi, dicens:

Dóminus Iesus Christus,
quem Pater unxit Spíritu Sancto et virtúte,
te custódiat
ad pópulum christiánum sanctificándum
et ad sacrifícium Deo offeréndum.

Deinde Episcopus et Ordinatus manus lavant.

329. Dum Ordinatus induitur stola et casula, et dum Episcopus illi manus inungit, canitur antiphona:

Sacérdos in ætérnum, Christus Dóminus
secúndum órdinem Melchísedech,
panem et vinum óbtulit (T. P. Allelúia).

cum Psalmo 109 (110), Dixit Dóminus Dómino meo, cf. supra n. 134, vel alius aptus cantus eiusdem generis qui conveniat antiphonæ, præsertim quando Psalmus 109 (110) tamquam psalmus responsorius in liturgia verbi adhibitus fuerit.

330. Deinde fideles panem super patenam et calicem, vino et aqua in eum inmissis, pro Missæ celebratione afferunt.

Diaconus ea recipit et affert Episcopo, qui ipsa ordinato presbytero, ante se genuflexo, in manus tradit, dicens:

Accipe oblatiónem plebis sanctæ
Deo offeréndam.
Agnósce quod ages,
imitáre quod tractábis,
et vitam tuam mystério domínicæ crucis confórma.

---

331. Demum Episcopus Ordinatis, prius presbytero postea diacono, dat osculum dicens:

Pax tibi.

Ordinatus respondet:

Et cum spíritu tuo.

Similiter omnes vel saltem nonnulli presbyteri præsentes osculo significare possunt presbyterum nuper ordinatum sibi in Ordine consociatum esse, et omnes vel saltem nonnulli diaconi respective quoad diaconum nuper ordinatum.

332. Interim cani potest responsorium (cf. n. 137):

℟. Iam non dicam vos servos, sed amícos meos, quia ómnia cognovístis, quæ operátus sum in médio vestri, (allelúia).

* Accípite Spíritum Sanctum in vobis Paráclitum. † Ille est, quem Pater mittet vobis, (allelúia).

℣. Vos amíci mei estis, si fecéritis quæ ego præcípio vobis. * Accípite.

℣. Glória Patri, et Fílio, et Spirítui Sancto.

† Ille est.

vel antiphona:

Vos amíci mei estis,
si fecéritis quæ præcípio vobis,
dicit Dóminus (T. P. Allelúia).

cum Psalmo 99 (100), Iubiláte Dómino, omnis terra, cf. supra n. 137, vel alius aptus cantus eiusdem generis, qui conveniat responsorio vel antiphonæ, præsertim quando Psalmus 99 (100) tamquam psalmus responsorius in liturgia verbi adhibitus fuerit.

333. Missa prosequitur more solito. Symbolum dicitur secundum rubricas; oratio universalis omittitur.

Liturgia eucharistica

334. Liturgia eucharistica concelebratur more solito; attamen omittitur præparatio calicis. Diaconus modo ordinatus ministrat Episcopo ad altare.

335. In Prece eucharistica, Episcopus vel unus ex presbyteris concelebrantibus mentionem presbyteri et diaconi modo ordinatorum facit secundum has formulas:

a) In Prece eucharistica I, Episcopus dicit Hanc ígitur proprium:

Hanc ígitur oblatiónem servitútis nostræ,
sed et cunctæ famíliæ tuæ,

quam tibi offérimus étiam pro fámulis tuis,
quos ad diaconátus et presbyterátus Ordines
promovére dignátus es,
quǽsumus, Dómine, ut placátus accípias,
et propítius in eis tua dona custódias,
ut, quod divíno múnere consecúti sunt,
divínis efféctibus exsequántur.
(Per Christum Dóminum nostrum. Amen.)

b) In intercessionibus Precis eucharisticæ II, post verba ... congregémur in unum dicitur:

Recordáre, Dómine, Ecclésiæ tuæ toto orbe diffúsæ,
ut eam in caritáte perfícias
una cum Papa nostro N. et Epíscopo nostro N.
Recordáre quoque istórum famulórum tuórum,
quos hódie diáconum vel presbýterum Ecclésiæ
providére voluísti,
et univérsi cleri.
Meménto étiam fratrum nostrórum ...

c) In intercessionibus Precis eucharisticæ III, post verba ... ad totíus mundi pacem atque salútem dicitur:

Ecclésiam tuam, peregrinántem in terra,
in fide et caritáte firmáre dignéris
cum fámulo tuo Papa nostro N. et Epíscopo nostro N.,
cum episcopáli Ordine et his fámulis tuis,
qui hódie diáconus vel présbyter Ecclésiæ ordináti sunt,
et univérso clero,
et omni pópulo acquisitiónis tuæ.
Votis huius famíliæ ...

d) In intercessionibus Precis eucharisticæ IV, post verba ... ad laudem glóriæ tuæ dicitur:

Nunc ergo, Dómine, ómnium recordáre,
pro quibus tibi hanc oblatiónem offérimus:
in primis fámuli tui, Papæ nostri N.,
Epíscopi nostri N.,

et Episcopórum Ordinis univérsi,
et istórum famulórum tuórum,
quos hódie ad pópuli tui servítium
diaconále vel presbyterále
elígere dignátus es,
sed et totíus cleri;
recordáre quoque offeréntium
et circumstántium,
et cuncti pópuli tui,
et ómnium, qui te quærunt corde sincéro.
Meménto étiam illórum ...

336. Diaconus modo ordinatus communicatur sub utraque specie et Episcopo ministrans fungitur ministerio calicis.

337. Deinde Episcopum adiuvat in distribuenda Communione fidelibus, si opus erit.

338. Parentes et propinqui Ordinatorum Communionem sub utraque specie recipere possunt.

339. Distributione Communionis expleta, cani potest cantus gratiarum actionis. Cantum sequitur oratio post Communionem.

Ritus conclusionis

340. Loco benedictionis consuetæ dici potest benedictio quæ sequitur. Diaconus dicere potest invitatorium:

Inclináte vos ad benedictiónem.

vel aliis verbis expressum.

Deinde Episcopus, manibus super ordinatos et populum extensis, profert benedictionem:

Deus, Ecclésiæ institútor et rector,
sua vos constánter tueátur grátia,
ut múnera vestra fidéli ánimo persolvátis.

Omnes:

Amen.

Episcopus:

Ipse qui diácono munus dedit
prædicándi Evangélium,
altári et homínibus inserviéndi
te fáciat in mundo
testem eius ardéntem ac minístrum caritátis.

Omnes:

Amen.

Episcopus:

Et te presbýterum fáciat verum pastórem,
qui fidélibus tríbuat panem vivum et verbum vitæ,
ut magis crescant in unitáte córporis Christi.

Omnes:

Amen.

Episcopus:

Et vos omnes, qui hic simul adéstis,
benedícat omnípotens Deus,
Pater, ✠ et Fílius, ✠ et Spíritus ✠ Sanctus.

Omnes:

Amen.

341. Data benedictione et populo a diacono dimisso, fit processio ad secretarium more consueto.

CAPUT V

TEXTUS IN CELEBRATIONE ORDINATIONUM ADHIBENDI

I

MISSA IN CONFERENDIS SACRIS ORDINIBUS

Pro Ordinatione Episcopi

342. Adhiberi potest Missa ritualis « In conferendis sacris Ordinibus », exceptis Sollemnitatibus, Dominicis Adventus, Quadragesimæ et Paschæ, diebus intra octavam Paschæ, festis Apostolorum. Occurrentibus his diebus dicitur Missa de die cum suis lectionibus.

Si tamen, aliis in diebus, Missa ritualis non dicitur, una e lectionibus sumi potest ex iis quæ in Lectionario pro Missa rituali proponuntur.

In Ordinatione plurium Episcoporum, orationes dicendæ sunt numero plurali.

Antiphona ad introitum — Lc 4, 18

Spíritus Dómini super me, propter quod unxit me,
evangelizáre paupéribus misit me, sanáre contrítos corde.

Collecta

Deus, qui sola ineffábilis grátiæ largitáte,
vis fámulum tuum N. presbýterum
hódie Ecclésiæ tuæ N. præfícere,

tríbue illi digne persólvere ministérium episcopális múneris
plebémque commíssam, te in ómnibus gubernánte,
verbo et exémplo dirígere concéde.
Per Dóminum.

Vel, præsertim si Episcopus non residentialis ordinatur:

Deus qui, pastor ætérnus,
gregem tuum assídua custódia gubérnans,
vis fámulum tuum N. presbýterum
hódie collégio episcopáli sociáre,
concéde, quǽsumus, ut, eius sancta conversatióne,
Christi testis verus ubíque exhibeátur.
Per Dóminum.

Super oblata

Si Ordinatus præsidet liturgiæ eucharisticæ, dicit:


Pro nostræ servitútis augménto
sacrifícium tibi, Dómine, laudis offérimus,
ut, quod imméritis contulísti,
propítius exsequáris.
Per Christum.


Si Episcopus ordinans principalis præsidet liturgiæ eucharisticæ, dicit:


Hæc oblátio, Dómine, pro Ecclésia tua
famulóque tuo N. Epíscopo deláta
sit tibi munus accéptum,
et, quem sacerdótem magnum in tuo pópulo suscitásti,
apostolicárum virtútum munéribus,
ad gregis proféctum, exórna.
Per Christum.

Præfatio


De Sacerdotio Christi et de ministerio sacerdotum.























tu- ísti Pontí- fi-cem, et ineffá-bi- li digná-tus es dispo-si-



ti- óne sancí- re, ut ú-nicum e- ius sa-cerdó- ti- um in Ec-




clé- si- a serva-ré-tur. Ipse e- nim non so-lum re-gá- li sa-




cerdó- ti- o pópu-lum acqui-si- ti- ó-nis ex-órnat, sed ét- i-




am fra-térna hómines é- li-git bo-ni- tá- te, ut sacri su- i




mi-nisté- ri- i fi- ant mánu- um impo- si- ti- ó-ne partí- ci-




pes. Qui sacri- fí- ci- um rénovent, e- ius nómine, re-demp-




ti- ó-nis humánæ, tu- is appa-rántes fí- li- is paschá- le




convívi-vi- um, et plebem tu- am sanctam ca-ri- tá- te præ-vé-




ni- ant, verbo nútri- ant, re- fí- ci- ant sacraméntis. Qui, vi-




tam pro te fratrúmque sa-lú- te tra-déntes, ad ipsí- us




Christi ni- tántur imá-gi-nem conformá- ri, et constántes



ti- bi fi-dem amo-rémque testéntur. Unde et nos, Dómi-



ne, cum Ange-lis et Sanctis u-ni- vérsis tibi confi-témur,



in exsul-ta- ti- ó-ne di-céntes:

℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.

℣. Sursum corda.
℟. Habémus ad Dóminum.

℣. Grátias agámus Dómino Deo nostro.
℟. Dignum et iustum est.

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper et ubíque grátias ágere:
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus:

Qui Unigénitum tuum Sancti Spíritus unctióne
novi et ætérni testaménti constituísti Pontíficem,
et ineffábili dignátus es dispositióne sancíre,
ut únicum eius sacerdótium in Ecclésia servarétur.

Ipse enim non solum regáli sacerdótio
pópulum acquisitiónis exórnat,
sed étiam fratérna hómines éligit bonitáte,
ut sacri sui ministérii fiant mánuum impositióne partícipes.

Qui sacrifícium rénovent, eius nómine, redemptiónis humánæ,
tuis apparántes fíliis paschále convívium,
et plebem tuam sanctam caritáte prævéniant,
verbo nútriant, refíciant sacraméntis.

Qui, vitam pro te fratrúmque salúte tradéntes,
ad ipsíus Christi nitántur imáginem conformári,
et constántes tibi fidem amorémque testéntur.

Unde et nos, Dómine, cum Angelis et Sanctis univérsis
tibi confitémur, in exsultatióne dicéntes: Sanctus ...

Intercessiones inserendæ in Prece eucharistica, inveniuntur supra n. 59 vel n. 95.

Antiphona ad Communionem Io 17, 17-18

Pater sancte, sanctífica eos in veritáte.
Sicut tu me misísti in mundum, et ego misi eos in mundum,
dicit Dóminus.

Post Communionem

Si Ordinatus præsidet liturgiæ eucharisticæ, dicit:

Plenum, quǽsumus, Dómine,
in nobis remédium tuæ miseratiónis operáre:
ac tales nos esse pérfice propítius, et sic fovéri;
ut tibi in ómnibus placére valeámus.
Per Christum.

Si Episcopus ordinans principalis præsidet liturgiæ eucharisticæ, dicit:

Huius, Dómine, virtúte mystérii,
in fámulo tuo N. Epíscopo grátiæ tuæ dona multíplica,
ut et tibi digne persólvat pastorále ministérium,
et fidélis dispensatiónis ætérna prǽmia consequátur.
Per Christum.

Pro Ordinatione presbyterorum

343. Adhiberi potest Missa ritualis « In conferendis sacris Ordinibus », exceptis Sollemnitatibus, Dominicis Adventus, Quadragesimæ et Paschæ, diebus infra octavam Paschæ. Occurrentibus his diebus dicitur Missa de die cum suis lectionibus.

Si tamen, aliis in diebus, Missa ritualis non dicitur, una e lectionibus sumi potest ex iis, quæ in Lectionario pro Missa rituali proponuntur.

In Ordinatione unius presbyteri orationes dicendæ sunt numero singulari.

Antiphona ad introitum Ier 3, 15

Dabo vobis pastóres iuxta cor meum,
et pascent vos sciéntia et doctrína.

Collecta


Dómine Deus noster, qui in regéndo pópulo tuo
ministério úteris sacerdótum,
tríbue his diáconis Ecclésiæ tuæ,
quos hódie ad presbyterátus munus elígere dignáris,
perseverántem in tua voluntáte famulátum,
ut ministério atque vita
tuam váleant in Christo glóriam procuráre.
Qui tecum.


Super oblata


Deus, qui sacerdótes tuos sacris altáribus
tuóque pópulo ministráre voluísti,
per huius sacrifícii virtútem concéde propítius,
ut famulórum tuórum servítium tibi iúgiter pláceat,
et fructum qui semper máneat
in Ecclésia tua váleat afférre.
Per Christum.


Præfatio

De Sacerdotio Christi et de ministerio sacerdotum.












gnum et iustum est, æquum et sa-lu-tá-re, nos tibi semper


et u-bíque grá-ti- as á-ge-re: Dómine, sancte Pater, omní-



po-tens ætérne De- us: Qui Uni-gé-ni-tum tu- um Sancti


Spí-ri-tus uncti- óne no-vi et æ-térni testaménti consti-



tu- ísti Pontí- fi-cem, et ineffá-bi- li digná-tus es dispo-si-



ti- óne sancí- re, ut ú-nicum e- ius sa-cerdó- ti- um in Ec-



clé- si- a serva-ré-tur. Ipse e- nim non so-lum re-gá- li sa-



cerdó- ti- o pópu-lum acqui-si- ti- ó-nis ex-órnat, sed ét- i-



am fra-térna hómines é- li-git bo-ni- tá- te, ut sacri su- i



mi-nisté- ri- i fi- ant mánu- um impo- si- ti- ó-ne partí- ci-


pes. Qui sacri- fí- ci- um rénovent, e- ius nómine, re-demp-



ti- ó-nis humánæ, tu- is appa-rántes fí- li- is paschá- le


conví-vi- um, et plebem tu- am sanctam ca-ri- tá- te præ-vé-



ni- ant, verbo nútri- ant, re- fí- ci- ant sacraméntis. Qui, vi-


tam pro te fratrúmque sa-lú- te tra-déntes, ad ipsí- us



Christi ni- tántur imá-gi-nem conformá- ri, et constántes



ti-bi fi-dem amo-rémque testéntur. Unde et nos, Dómi-



ne, cum Ange-lis et Sanctis u-ni-vérsis tibi confi-témur,



in exsul-ta-ti-ó-ne di-céntes:

℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.

℣. Sursum corda.
℟. Habémus ad Dóminum.

℣. Grátias agámus Dómino Deo nostro.
℟. Dignum et iustum est.

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper et ubíque grátias ágere:
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus:

Qui Unigénitum tuum Sancti Spíritus unctióne
novi et ætérni testaménti constituísti Pontíficem,
et ineffábili dignátus es dispositióne sancíre,
ut únicum eius sacerdótium in Ecclésia servarétur.

Ipse enim non solum regáli sacerdótio
pópulum acquisitiónis exórnat,
sed étiam fratérna hómines éligit bonitáte,
ut sacri sui ministérii fiant mánuum impositióne partícipes.

Qui sacrifícium rénovent, eius nómine, redemptiónis humánæ,
tuis apparántes fíliis paschále convívium,
et plebem tuam sanctam caritáte prævéniant,
verbo nútriant, refíciant sacraméntis.

Qui, vitam pro te fratrúmque salúte tradéntes,
ad ipsíus Christi nitántur imáginem conformári,
et constántes tibi fidem amorémque testéntur.

Unde et nos, Dómine, cum Angelis et Sanctis univérsis
tibi confitémur, in exsultatióne dicéntes: Sanctus ...

Intercessiones inserendæ in Prece eucharistica inveniuntur supra n. 140 vel n. 168.

Antiphona ad Communionem Mc 16, 15; Mt 28, 20

Eúntes in mundum univérsum, prædicáte Evangélium:
ego vobíscum sum ómnibus diébus, dicit Dóminus.

Post Communionem

Sacerdótes tuos, Dómine, et omnes fámulos tuos
vivíficet divína, quam obtúlimus et súmpsimus, hóstia,
ut, perpétua tibi caritáte coniúncti,
digne famulári tuæ mereántur maiestáti.
Per Christum.

Pro Ordinatione diaconorum

344. Adhiberi potest Missa ritualis « In conferendis sacris Ordinibus », exceptis Sollemnitatibus, Dominicis Adventus, Quadragesimæ et Paschæ, diebus infra octavam Paschæ. Occurrentibus his diebus dicitur Missa de die, cum suis lectionibus.

Si tamen, aliis in diebus, Missa ritualis non dicitur, una e lectionibus sumi potest ex iis, quæ in Lectionario pro Missa rituali proponuntur.

In Ordinatione unius diaconi orationes dicendæ sunt numero singulari.

Antiphona ad introitum — Io 12, 26

Qui mihi minístrat me sequátur, dicit Dóminus;
et ubi sum ego, illic et miníster meus erit.

Collecta


Deus, qui minístros Ecclésiæ tuæ docuísti
non ministrári velle, sed frátribus ministráre,
his fámulis tuis,
quos hódie ad diaconátus munus elígere dignáris,
concéde, quǽsumus, et in actióne sollértiam,
et cum mansuetúdine ministérii in oratióne constántiam.
Per Dóminum.

Super oblata


Pater sancte, cuius Fílius discipulórum vóluit laváre pedes,
ut nobis præbéret exémplum,
súscipe, quǽsumus, nostræ múnera servitútis, et præsta,
ut, nosmetípsos in spiritálem hóstiam offeréntes,
spíritu humilitátis et diligéntiæ repleámur.
Per Christum.

Præfatio

De Christo fonte totius ministerii in Ecclesia.




Dóminus vo-bíscum. ℟. Et cum spí- ri- tu tu- o. ℣. Sur-sum




corda. ℟. Habémus ad Dómi-num. ℣. Grá- ti- as a- gámus




Dómi-no De- o nostro. ℟. Dignum et iustum est. Ve-re di-




gnum et iustum est, æquum et sa- lu- tá-re, nos tibi semper




et u-bíque grá- ti- as á- ge-re: Dómine, sancte Pater, omní-




po-tens ætérne De- us: Qui Uni-gé-ni- tum tu- um Sancti




Spí- ri-tus uncti- óne no-vi et æ-térni testaménti consti-




tu- ísti Pontí- fi-cem, et ineffá-bi- li digná-tus es dispo- si-




ti- ó-ne sancí- re, ut multa mi-nisté- ri- a in Ecclé- si-




a ex- erce-réntur. Ipse e-nim non so- lum regá- li sa-




ċerdó-ti- o pópu-lum acqui-si-ti- ó-nis ex-órnat, sed ét-i-




am fra-térna hómines é- li-git bo-ni- tá-te, ut sacri su- i




mi-nisté-ri- i fi- ant mánu- um impo-si-ti- ó-ne partí-ci-




pes. Qui ple-bem tu- am sanctam ca-ri- tá- te præ-vé-




ni- ant, verbo nútri- ant, re- fí-ci- ant sacraméntis. Qui, vi-




tam pro te fratrúmque sa-lú-te tra-déntes, ad ipsí- us




Christi ni-tántur imá-gi-nem conformá-ri, et constántes



ti-bi fi-dem amo-rémque testéntur. Unde et nos, Dómi-



ne, cum Ange-lis et Sanctis u-ni- vérsis tibi confi-témur,



in exsul-ta- ti- ó-ne di-céntes:

℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.

℣. Sursum corda.
℟. Habémus ad Dóminum.

℣. Grátias agámus Dómino Deo nostro.
℟. Dignum et iustum est.

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper et ubíque grátias ágere:
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus:

Qui Unigénitum tuum Sancti Spíritus unctióne
novi et ætérni testaménti constituísti Pontíficem,
et ineffábili dignátus es dispositióne sancíre,
ut multa ministéria in Ecclésia exerceréntur.

Ipse enim non solum regáli sacerdótio
pópulum acquisitiónis exórnat,
sed étiam fratérna hómines éligit bonitáte,
ut sacri sui ministérii fiant mánuum impositióne partícipes.

Qui plebem tuam sanctam caritáte prævéniant,
verbo nútriant, refíciant sacraméntis.
Qui, vitam pro te fratrúmque salúte tradéntes,
ad ipsíus Christi nitántur imáginem conformári,
et constántes tibi fidem amorémque testéntur.

Unde et nos, Dómine, cum Angelis et Sanctis univérsis
tibi confitémur, in exsultatióne dicéntes: Sanctus ...

Intercessiones inserendæ in Prece eucharistica inveniuntur supra n. 214 vel n. 242.

Antiphona ad Communionem Mt 20, 28

Fílius hóminis non venit ministrári, sed ministráre,
et dare ánimam suam redemptiónem pro multis.

Post Communionem

Concéde fámulis tuis, Dómine, cælésti cibo potúque replétis,
ut, ad glóriam tuam et salútem credéntium procurándam,
fidéles inveniántur
Evangélii, sacramentórum caritatísque minístri.
Per Christum.

Pro Ordinatione diaconorum et Ordinatione presbyterorum

345. Pro Ordinatione diaconorum et Ordinatione presbyterorum una simul actione liturgica conferenda adhiberi potest Missa ritualis « In conferendis sacris Ordinibus », exceptis Sollemnitatibus, Dominicis Adventus, Quadragesimæ et Paschæ, diebus infra octavam Paschæ. Occurrentibus his diebus dicitur Missa de die, cum suis lectionibus.

Si tamen, aliis in diebus, Missa ritualis non dicitur, una e lectionibus sumi potest ex iis, quæ in Lectionario pro Missa rituali proponuntur.

Antiphona ad introitum Io 12, 26

Qui mihi minístrat me sequátur, dicit Dóminus;
et ubi sum ego, illic et minister meus erit.

Collecta


Deus, qui pastóres pópulo tuo providére voluísti,
effúnde in Ecclésia tua spíritum pietátis et fortitúdinis,
qui hos fámulos tuos
dignos altáribus tuis reddat minístros
et Evangélii tui strénuos ac mites adsertóres effíciat.
Per Dóminum.

Super oblata


Pater sancte, cuius Fílius discipulórum vóluit laváre pedes,
ut nobis præbéret exémplum,
súscipe, quǽsumus, nostræ múnera servitútis,
et præsta, ut, nosmetípsos in spiritálem hóstiam offeréntes,
spíritu humilitátis et diligéntiæ repleámur.
Per Christum.

Præfatio


De Christo fonte totius ministerii in Ecclesia.




Dóminus vo-bíscum. ℟. Et cum spí- ri- tu tu- o. ℣. Sur-sum




corda. ℟. Habémus ad Dómi-num. ℣. Grá- ti- as a- gámus




Dómi-no De- o nostro. ℟. Dignum et iustum est. Ve- re di-




gnum et iustum est, æquum et sa- lu- tá-re, nos tibi semper




et u-bíque grá- ti- as á- ge-re: Dómine, sancte Pater, omní-




po-tens ætérne De- us: Qui Uni-gé-ni- tum tu- um Sancti




Spí- ri-tus uncti- óne no-vi et æ-térni testaménti consti-




tu- ísti Pontí- fi-cem, et ineffá-bi- li digná-tus es dispo- si-




ti- ó-ne sancí- re, ut multa mi-nisté- ri- a in Ecclé- si-




a ex- erce-réntur. Ipse e-nim non so- lum regá- li sa-





cerdó- ti- o pópu-lum acqui-si- ti- ó-nis ex-órnat, sed ét- i-





am fra-térna hómines é- li-git bo-ni- tá- te, ut sacri su- i



mi-nisté-ri- i fi- ant mánu- um impo-si-ti- ó-ne partí-ci-



pes. Qui ple-bem tu- am sanctam ca-ri-tá-te præ-vé-



ni- ant, verbo nútri- ant, re-fí-ci- ant sacraméntis. Qui, vi-


tam pro te fratrúmque sa-lú-te tra-déntes, ad ipsí- us


Christi ni-tántur imá-gi-nem conformá-ri, et constántes


ti-bi fi-dem amo-rémque testéntur. Unde et nos, Dómi-


ne, cum Ange-lis et Sanctis u-ni-vérsis tibi confi-témur,


in exsul-ta-ti- ó-ne di-céntes:

℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.

℣. Sursum corda.
℟. Habémus ad Dóminum.

℣. Grátias agámus Dómino Deo nostro.
℟. Dignum et iustum est.

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper et ubíque grátias ágere:
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus:

Qui Unigénitum tuum Sancti Spíritus unctióne
novi et ætérni testaménti constituísti Pontíficem,
et ineffábili dignátus es dispositióne sancíre,
ut multa ministéria in Ecclésia exerceréntur.

Ipse enim non solum regáli sacerdótio
pópulum acquisitiónis exórnat,
sed étiam fratérna hómines éligit bonitáte,
ut sacri sui ministérii fiant mánuum impositióne partícipes.

Qui plebem tuam sanctam caritáte prævéniant,
verbo nútriant, refíciant sacraméntis.
Qui, vitam pro te fratrúmque salúte tradéntes,
ad ipsíus Christi nitántur imáginem conformári,
et constántes tibi fidem amorémque testéntur.

Unde et nos, Dómine, cum Angelis et Sanctis univérsis
tibi confitémur, in exsultatióne dicéntes: Sanctus ...

Intercessiones inserendæ in Prece eucharistica inveniuntur supra n. 294 vel n. 335.

Antiphona ad Communionem Io 17, 17-18

Pater sancte, sanctífica eos in veritáte.
Sicut tu me misísti in mundum, et ego misi eos in mundum,
dicit Dóminus.

Post Communionem

Concéde fámulis tuis, Dómine, cælésti cibo potúque replétis,
ut, ad glóriam tuam et salútem credéntium procurándam,
fidéles inveniántur
Evangélii, sacramentórum caritatísque minístri.
Per Christum.

II

LECTIONES BIBLICÆ

346. Quædam pericopæ huius seriei peculiaribus circumstantiis potius destinantur. Ceteræ autem in omnibus Ordinationibus adhiberi possunt.

Secundum traditionem liturgicam, tempore paschali Vetus Testamentum non legitur, dum in lectione evangelica textus Ioannis præferuntur.

Lectiones e Vetere Testamento

347. 1. **Num 3,** 5-9:

« *Applica tribum Levi ut ministrent Aaron sacerdoti* ».

In diébus illis: Locútus est Dóminus ad Móysen dicens ... (pro diaconis)

2. **Num 11,** 11b-12. 14-17. 24-25a:

« *Tradam de spiritu tuo ut sustentent tecum onus populi* ».

In diébus illis: Ait Móyses ad Dóminum: Cur imposuísti ... *25 usque ad* prophetavérunt.

(pro presbyteris)

3. **Is 61,** 1-3a:

« *Unxit me Dominus et ad annuntiandum læta mansuetis misit me, et dare eis oleum gaudii* ».

Spíritus Dómini Dei super me ...

(pro Episcopis et presbyteris)

4. **Ier 1,** 4-9:

« *Ad quoscumque mittam te, ibis* ».

Factum est verbum Dómini ad me ...

Lectiones e Novo Testamento

348. 1. **Act 6,** 1-7b:
« *Elegerunt septem viros plenos Spiritu Sancto* ».
In diébus illis, crescénte número discipulórum ... *7 usque ad* valde. (pro diaconis)

2. **Act 8,** 26-40:
« *Incipiens a Scriptura ista, evangelizavit illi Iesum* ».
In diébus illis: Angelus Dómini locútus est ad Philíppum dicens ... (pro diaconis)

3. **Act 10,** 37-43:
« *Nos testes sumus omnium, quæ fecit Iesus in regione Iudæorum et Ierusalem* ».
In diébus illis: Apériens Petrus os suum dixit: Vos scitis quod factum est verbum ...

4. **Act 20,** 17-18a. 28-32. 36:
« *Attendite vobis et universo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus posuit episcopos, pascere Ecclesiam Dei* ».
In diébus illis: A Miléto mittens Ephésum convocávit Paulus ... *18 usque ad* dixit eis ...
(pro Episcopis et presbyteris)

5. **Rom 12,** 4-8:
« *Habentes donationes secundum gratiam, quæ data est nobis, differentes* ».
Fratres: Sicut in uno córpore ...

6. **2 Cor 4,** 1-2. 5-7:
« *Prædicamus Iesum Christum; nos autem servos vestros per Iesum* ».
Fratres: Habéntes hanc ministratiónem ...

7. **2 Cor 5,** 14-20:
« *Dedit nobis ministerium reconciliationis* ».

Fratres: Cáritas Christi urget nos ...

8. **Eph 4,** 1-7. 11-13:
« *In opus ministerii, in ædificationem corporis Christi* ».

Fratres: Obsecro vos ego vinctus in Dómino ...

9. **1 Tim 3,** 8-10. 12-13:
« *Habentes mysterium fidei in conscientia pura* ».

Opórtet diáconos esse pudícos ... (pro diaconis)

10. **1 Tim 4,** 12-16:
« *Noli neglegere donationem, quæ data est tibi impositione manuum presbyterii* ».

Caríssime: Nemo adulescéntiam tuam contémnat ...

Vel **4,** 12b-16:

Caríssime: Exémplum esto fidélium ...
(pro Episcopis)

11. **2 Tim 1,** 6-14:
« *Ut resuscites donationem Dei, quæ est in te per impositionem manuum mearum* ».

Caríssime: Admóneo te ... (pro Episcopis)

12. **Hebr 5,** 1-10:
« *Christus appellatus a Deo pontifex iuxta ordinem Melchisedech* ».

Omnis póntifex ex homínibus assúmptus ...

13. **1 Petr 4,** 7b-11:
« *Sicut boni dispensatores multiformis gratiæ Dei* ».

Caríssimi: Estóte prudéntes ...

14. **1 Petr 5,** 1-4:
« *Pascite, qui est in vobis, gregem Dei* ».

Caríssimi: Senióres, qui in vobis sunt ...

Psalmi responsorii

349. 1. **Ps 22 (23),** 1-3. 4. 5. 6
℟. (1): Dóminus pascit me, et nihil mihi déerit.

2. **Ps 83 (84),** 3-4. 5. 11
℟. (5a): Beáti qui hábitant in domo tua, Dómine.

3. **Ps 88 (89),** 21-22. 25 et 27
℟. (cf. 2a): Misericórdias tuas, Dómine, in ætérnum cantábo.

4. **Ps 95 (96),** 1-a. 2b-3. 10
℟. (Mt 28, 19): Eúntes in mundum, allelúia, docéte omnes gentes, allelúia.

5. **Ps 99 (100),** 2. 3. 4. 5
℟. (Io 15, 14): Vos amíci mei estis, si faciétis quæ præcípio vobis, dicit Dóminus.

6. **Ps 109 (110),** 1. 2. 3. 4
℟. Sacérdos in ætérnum Christus Dóminus secúndum órdinem Melchísedech panem et vinum óbtulit.

Vel

(4b): Tu es sacérdos in ætérnum, secúndum órdinem Melchísedech.

7. **Ps 115 (116),** 12-13. 17-18
℟. (1 Cor 10, 16): Calix benedictiónis, communicátio Sánguinis Christi est.

Vel

Allelúia.

8. **Ps 116 (117),** 1. 2
℟. (Mc 16, 15): Eúntes in mundum univérsum, prædicáte Evangélium.

Vel

Allelúia.

Alleluia et Versus ante Evangelia

350. 1. Mt 28, 19a-20b:
Eúntes docéte omnes gentes, dicit Dóminus:
ego vobíscum sum ómnibus diébus
usque ad consummatiónem sǽculi.

2. Lc 4, 18:
Evangelizáre paupéribus misit me Dóminus,
prædicáre captívis remissiónem.

3. Io 10, 14:
Ego sum pastor bonus, dicit Dóminus;
et cognósco oves meas, et cognóscunt me meæ.

4. Io 15, 15b:
Vos dixi amícos, dicit Dóminus,
quia ómnia quæ audívi a Patre meo
nota feci vobis.

Evangelia

351. 1. **Mt 5,** 13-16:
« *Vos estis lux mundi* ».

In illo témpore: Dixit Iesus discípulis suis: Vos estis sal terræ ...

2. **Mt 9,** 35-38:
« *Rogate Dominum messis, ut mittat operarios in messem suam* ».

In illo témpore: Circumíbat Iesus civitátes omnes ...

3. **Mt 10,** 1-5a:
« *Elegit Iesus duodecim Apostolos et misit eos* ».

In illo témpore: Convocátis Iesus duódecim discípulis suis ... *5 usque ad* misit Iesus.

4. **Mt 20,** 25b-28:
« *Qui voluerit inter vos primus esse, erit vester servus* ».

In illo témpore: Ait Iesus discípulis suis: Scitis quia príncipes géntium ...

5. **Lc 10,** 1-9:
« *Messis quidem multa, operarii autem pauci* ».

In illo tẹmpore: Designávit Dóminus álios septuagínta duos ...

6. **Lc 12,** 35-44:
« *Beati servi, quos cum venerit dominus invenerit vigilantes* ».

In illo témpore: Dixit Iesus discípulis suis: Sint lumbi vestri præcíncti ...

7. **Lc 22,** 14-20. 24-30:
« *Hoc facite in meam commemorationem. Ego autem in medio vestrum sum sicut qui ministrat* ».

Cum facta esset hora, discúbuit Iesus et apóstoli ...

8. **Io 10,** 11-16:
« *Bonus pastor animam suam ponit pro ovibus suis* ».

In illo témpore: Dixit Iesus: Ego sum pastor bonus ...

9. **Io 12,** 24-26:
« *Si quis mihi ministrat, me sequatur* ».

In illo témpore: Respóndit Iesus Andréæ et Philíppo, dicens ...

10. **Io 15,** 9-17:
« *Non vos me elegistis, sed ego elegi vos* ».

In illo témpore: Dixit Iesus discípulis suis: Sicut diléxit me Pater ...

11. **Io 17,** 6. 14-19:
« *Pro eis sanctifico me ipsum, ut sint et ipsi sanctificati in veritate* ».

In illo témpore: (Sublevátis óculis in cælum, orávit Iesus dicens: Pater sancte), manifestávi nomen tuum homínibus, quos dedísti mihi ...

12. **Io 20,** 19-23:
« *Sicut misit me Pater, et ego mitto vos: Accipite Spiritum Sanctum* ».

Cum sero esset die illa prima sabbatórum ...

13. **Io 21,** 15-17:
« *Pasce agnos meos, pasce oves meas* ».


Cum (manifestásset se Iesus discípulis suis et) prandísset cum eis, dicit Simóni Petro ...

APPENDIX


I

CANTUS

VENI, CREATOR



[VIII] Ve-ni, cre- á- tor Spí- ri- tus,* mentes tu- ó- rum ví- si-



ta, imple su- pérna grá- ti- a, quæ tu cre- ásti, péctora.

2. Qui díceris Paráclitus,
donum Dei altíssimi,
fons vivus, ignis, cáritas
et spiritális únctio.


3. Tu septifórmis múnere,
dextræ Dei tu dígitus,
tu rite promíssum Patris
sermóne ditans gúttura.

4. Accénde lumen sénsibus,
infúnde amórem córdibus,
infírma nostri córporis,
virtúte firmans pérpeti.


5. Hostem repéllas lóngius
pacémque dones prótinus;
ductóre sic te prævio
vitémus omne nóxium.

6. Per te sciámus da Patrem
noscámus atque Fílium,
te utriúsque Spíritum
credámus omni témpore. Amen.


HYMNUS TE DEUM




[III] Te De- um laudámus: * te Dóminum confi- témur. Te




æ- térnum Patrem, omnis terra vene- rá-tur. Ti-bi omnes




ánge- li, ti-bi cæ- li et uni-vérsæ po-testá-tes: Ti-bi ché-




rubim et sé-raphim incessá-bi- li voce proclámant: Sanc-




tus, Sanctus, Sanctus, Dóminus De- us Sába- oth. Pleni




sunt cæ- li et terra ma- iestá- tis gló-ri- æ tu- æ. Te glo- ri-




ósus Aposto- lórum cho-rus. Te prophe-tá-rum laudábi-




lis núme- rus. Te mártyrum candidátus laudat exércitus.




Te per orbem terrá-rum sancta confi-té-tur Ecclé- si- a,




Pa- trem imménsæ ma- iestá- tis; Ve-ne-rándum tu- um ve-




rum et ú-nicum Fí- li- um; Sanctum quoque Pa-rácli- tum




Spí- ri-tum. Tu rex gló-ri- æ, Christe. Tu Patris sempi-




térnus es Fí- li- us. Tu, ad li-be-rándum susceptúrus hó-




mi-nem, non horru- ísti Vírgi- nis ú-te-rum. Tu, devícto




mortis acú-le-o, aperu-ísti credéntibus regna cæ-lórum.




Tu ad déxte-ram De-i se-des in gló-ri-a Patris. Iudex



créde-ris esse ventúrus. Te ergo quǽsumus, tu-is fá-mu-




lis súbveni, quos pre-ti-óso sánguine redemísti. Æ-tér-



na fac cum sanctis tu-is in gló-ri-a nume-rá- ri.


Hæc ultima pars hymni ad libitum omitti potest:




Salvum fac pópu-lum tu-um, Dómine, et bé-ne-dic he-




re-di-tá-ti tu- æ. Et re-ge e-os, et ex-tól-le




il-los us-que in æ-tér-num. Per síngu-los di-es, benedí-




cimus te; Et laudámus nomen tu- um in sæcu- lum et in




sǽcu- lum sǽcu- li. Digná-re, Dómine, di- e isto si-ne




peccá-to nos custo-dí-re. Mi-se-ré- re nostri, Dómine, mise-



ré-re nostri. Fi- at mi-se-ri-córdi- a tu- a, Dómine, super



nos quemádmodum spe- rá-vimus in te. In te, Dómi-ne,



spe- rá- vi: non confúndar in æ- tér- num.

II

RITUS ADMISSIONIS INTER CANDIDATOS AD ORDINEM SACRUM

PRÆNOTANDA

1. Ritus admissionis peragitur, cum adspirantium propositum, necessariis dotibus suffultum, ad sufficientem maturitatem pervenisse constat.

2. Propositum Ordinis sacri suscipiendi publice est ab adspirantibus manifestandum. Episcopus vero, vel Superior maior in clericalibus institutis, vel delegatus eorum, idem propositum publice acceptat.

3. Admissio celebrari potest quolibet die, exceptis Triduo paschali, Hebdomada sancta, Feria IV Cinerum, Commemoratione omnium fidelium defunctorum, præsertim in ecclesia vel oratorio Seminarii et Instituti religiosi, accasione data v. gr. cuiusdam conventus presbyterorum vel diaconorum, sive intra Missam sive in celebratione Liturgiæ Horarum aut verbi Dei. Propter suam indolem numquam cum sacris Ordinibus vel cum institutione lectorum et acolythorum coniungitur.

4. Si admissio intra Missam celebratur, dici potest Missa pro vocationibus ad sacros Ordines, cum lectionibus propriis ritus admissionis, colore albo adhibito.

Occurrentibus vero diebus, qui sub nn. 2-9 tabulæ dierum liturgicorum recensentur, dicitur Missa de die.

Quando non dicitur Missa pro vocationibus ad sacros Ordines, una e lectionibus sumi potest ex iis quæ in Lectionario pro ritu admissionis proponuntur, nisi occurrat dies qui sub nn. 2-4 tabulæ dierum liturgicorum recensetur.

5. Si admissio fit intra Celebrationem verbi Dei, hæc incipi potest antiphona congrua et, post salutationem celebrantis, collecta eiusdem Missæ. Lectiones sumuntur ex iis quæ pro hac celebratione in Lectionario indicantur.

6. Quando ritus intra Liturgiam Horarum celebratur, initium sumit post lectionem brevem vel longiorem. In Laudibus et Vesperis, loco intercessionum seu Precum dici possunt invocationes orationis communis, sicut infra n. 10 proponuntur.

7. Si admissio intra Missam celebratur, Episcopus celebrans induit vestes sacras pro celebratione eucharistica requisitas et utitur mitra et baculo; si vero extra Missam celebratur, potest aut crucem pectoralem, stolam et pluviale coloris convenientis induere supra albam, aut tantum crucem et stolam super rochetum et mozetam assumere: hoc in casu non utitur mitra nec baculo.

RITUS ADMISSIONIS

8. Post lectiones biblicas, celebrans, si est Episcopus convenienter gerens mitram et baculum ac sedens in cathedra, homiliam habet, in qua, initium sumens e textu lectionum quæ lectæ sunt, præsentes de indole admissionis alloquitur his vel similibus verbis:

Fratres dilectíssimi, hi fratres nostri, qui in fácie Ecclésiæ hódie consístunt, ut admittántur inter candidátos ad Ordinem sacrum nobis et vobis commendándi sunt.

Christus præcépit: « Rogáte Dóminum messis, ut mittat operários in messem suam ». Sollicitúdinem ergo Dómini nostri pro grege suo cognoscéntes et necessitátem Ecclésiæ considerántes, parátos se séntiunt Dómino vocánti generóse respondére cum prophéta: « Ecce ego, mitte me », ipsi Dómino confísi, in quo spem ponunt ut vocatióni suæ fidéles evádant.

Vox autem Dómini vocántis ex signis intellegénda et diiudicánda est, quibus cotídie volúntas Dei prudéntibus homínibus innotéscit. Quos vero ad Christi sacerdótium ministeriale participándum divínitus éligit, Dóminus sua grátia movet et ádiuvat, dum nobis commíttit ut de candidatórum idoneitáte inquirámus. Postquam vero rite probáti fúerint,

eos vocábimus et singulári Sancti Spíritus sigíllo Dei et Ecclésiæ ministério ordinábimus. Ordine enim sacro ad id deputabúntur, ut munus Christi salvíficum, quod ille in mundo explévit, et ipsi prosequántur. Ministério ergo nostro, suo témpore, sociáti, Ecclésiæ desérvient et communitátes christiánas ad quas mitténtur verbo et sacraméntis ædificábunt.

Nunc autem ad vos lóquimur, fratres nostri caríssimi, qui institutiónem vestram iam cœpístis, qua in dies discátis secúndum formam Evangélii vívere, in fide, spe et caritáte firmári; ut eas exercitándo in spíritu oratiónis et in zelo omnes hómines Christi lucrifaciéndi crescátis.

Amóre Christi compúlsi et íntima operatióne Spíritus Sancti roboráti ad hoc perveístis, ut Dei hominúmque servítio in Ordine sacro vos mancipándi desidérium palam manifestavéritis, quod cum gáudio nos acceptúri sumus.

Ex hac autem die vocatiónem vestram áltius excólere debétis, illis præsértim médiis adhíbitis quibus auxílium subsidiúmque vobis commúnitas ecclesiális ad hoc deputáta præbére potest.

Nos vero omnes, Dómino confísi, caritáte ac précibus vobis auxílio érimus.

Cum ígitur nominátim appelláti éritis, huc accedátis ut propósitum vestrum coram Ecclésia profiteámini.

9. Diaconus vel presbyter ad hoc deputatus adspirantes nominatim vocat. Singuli autem respondent:

Adsum,

et ad celebrantem accedunt, cui si est Episcopus reverentiam faciunt.

10. Tunc celebrans eos interrogat his verbis:

Fílii caríssimi, pastóres et magístri, qui vobis instituéndis præpósiti sunt, et quotquot vos faténtur cognóscere bonum testimónium de vobis reddidérunt, cui plene confídimus.

Vultis, vocatióni Dómini respondéntes, præparatiónem vestram ita perfícere, ut apti efficiámini ad ministérium in Ecclésia, per Ordinem sacrum, suo témpore, suscipiéndum?

Adspirantes, omnes simul, respondent:
Volo.

Celebrans:

Vultis ánimum vestrum ita formáre, ut Christo Dómino eiúsque Córpori, quod est Ecclésia, valeátis fidéliter deservíre?

Adspirantes:
Volo.

Si placet, propositum candidatorum accipi potest modo a Conferentia Episcoporum statuto.

Celebrans subiungit:

Cum gáudio Ecclésia súscipit propósitum vestrum. Quod Deus in vobis cœpit, ipse perfíciat.

Omnes:
Amen.

11. Tunc celebrans et alii omnes surgunt. Episcopus deponit baculum et mitram, si eis utitur. In Missa dicitur Symbolum secundum rubricas.

Deinde celebrans fideles ad orandum invitat, dicens:

Deum ac Dóminum nostrum,
fratres caríssimi, supplíciter deprecémur,
ut super hos fámulos suos,
qui Ecclésiæ ministério se cúpiunt devovére,
benedictiónis suæ grátiam dignánter effúndat.

12. Diaconus vero aut alius minister idoneus has vel alias intentiones circumstantiæ magis aptas proponit, congrua acclamatione, omnibus respondentibus:

– Ut hi fratres nostri Christo árctius adhǽreant, et testes eius inter hómines váleant exsístere, Dóminum precémur.

℟. Te rogámus, audi nos.

– Ut hóminum sollicitúdines portáre, et vocem Spíritus Sancti váleant semper audíre, Dóminum precémur.
℟. Te rogámus, audi nos.
– Ut minístri Ecclésiæ efficiántur, qui fratres suos verbo et exémplo in fide confírment et ad participándam Eucharístiam cóngregent, Dóminum precémur.
℟. Te rogámus, audi nos.
– Ut mittat operários in messem suam eósque donis répleat Spíritus sui, Dóminum precémur.
℟. Te rogámus, audi nos.
– Ut univérsi hómines ad pacis et iustítiæ plenitúdinem pervéniant, Dóminum precémur.
℟. Te rogámus, audi nos.
– Ut omnes fratres nostri afflícti, passiónis Christi partícipes, libertátem et sanitátem consequántur, Dóminum precémur.
℟. Te rogámus, audi nos.

13. Si admissio fit in Laudibus et Vesperis, omissis intercessionibus et Oratione dominica statim dicitur oratio ut infra n. 14, in Celebratione autem verbi, statim ab omnibus dicitur Oratio dominica.

14. Post Orationem dominicam vel, si admissio celebratur intra Missam, immediate post intentiones celebrans prosequitur:

Adésto, Dómine, supplicatiónibus nostris,
et hos fílios, qui tuo famulátui
populíque tui servítio
in ministério sacro devovére se cúpiunt,
benedícere ✠ tua pietáte dignáre,
ut in vocatióne persevérent
et, Christo Sacerdóti sincéra caritáte adhæréntes,
munus apostólicum digne váleant suscípere.
Per Christum Dóminum nostrum.

Omnes:
Amen.

Vel:

Fámulis tuis, quǽsumus, Dómine, dignánter concéde,
ut dilectiónis tuæ mystérium
plénius in dies agnóscant et prosequántur.
Præsta, ut sacro ministério in Ecclésia exercéndo
ánimo voiénti se prǽparent,
ut, spíritu caritátis tuæ imbúti,
fratrum salúti
ad glóriam tui nóminis libénter insérviant.
Per Christum Dóminum nostrum.

Omnes:

Amen.

15. Si admissio celebratur intra Missam, hæc continuatur more solito, et in ea candidati eorumque parentes et propinqui Communionem sub utraque specie recipere possunt. Intra Liturgiam Horarum omnia quae ritum sequuntur more consueto fiunt.

Si vero cum Celebratione verbi coniungitur, celebrans cœtum congregatum benedicit et diaconus eum dimittit, more solito.

LECTIONES BIBLICÆ IN CELEBRATIONE ADMISSIONIS INTER CANDIDATOS AD ORDINES SACROS ADHIBENDÆ

Lectiones e Vetere Testamento

16. 1. **Deut 1,** 9-14:
« *Date vobis viros sapientes, ut ponam eos vobis principes* ».

In diébus illis: Locútus est Móyses pópulo: Dixi vobis: Non possum ...

2. **Sir 39,** 1b. 5-8:
« *Cor suum tradet ad vigilandum diluculo ad Dominum* ».

Sapiéntiam ómnium antiquórum ...

3. **Is 6,** 1-2a. 3-8:
« Quem mittam? Et quis ibit nobis ».
In anno quo mórtuus est ...

4. **Ier 1,** 4-9:
« Ad quoscumque mittam te, ibis ».
Factum est verbum Dómini ad me ...

Lectiones e Novo Testamento

17. 1. **Act 14,** 21-23:
« Ordinaverunt per singulas Ecclesias presbyteros ».
In diébus illis: Paulus et Bárnabas revérsi sunt Lystram ...

2. **1 Cor 9,** 16-19. 22-23:
« Væ mihi est, si non evangelizavero ».
Fratres: Si evangelizávero ...

3. **1 Cor 12,** 4-11:
« Unicuique datur manifestatio Spiritus ad utilitatem ».
Fratres: Divisiónes gratiárum sunt ...

4. **2 Tim 3,** 10-12. 14-15:
« Permane in his, quæ didicisti ».
Carissime: Assecútus es ...

Psalmi responsorii

18. 1. **Ps 15 (16),** 1-2a et 5. 7-8. 11
℟. (Cf. 5a): Tu es, Dómine, pars hereditátis meæ.

2. **Ps 23 (24),** 1-2. 3-4ab. 5-6
℟. (Cf. 6): Hæc est generátio quæréntium fáciem tuam, Dómine.

3. **Ps 97 (98),** 1. 2-3ab. 3c-4. 5-6
℟. (2b): In conspéctu géntium revelávit Dóminus iustítiam suam.

Alleluia et Versus ante Evangelium

19. 1. Mc 1, 17:
Veníte post me, dicit Dóminus,
et fáciam vos fíeri piscatóres hóminum.

2. Lc 4, 18:
Evangelizáre paupéribus misit me Dóminus,
prædicáre captívis remissiónem.

3. Io 12, 26:
Si quis mihi minístrat, me sequátur,
dicit Dóminus;
et ubi sum ego illic et miníster meus erit.

Evangelia

20. 1. **Mt 9,** 35-38:
« *Rogate Dominum messis, ut mittat operarios in messem suam* ».

In illo témpore: Circumíbat Iesus civitátes omnes ...

2. **Mc 1,** 14-20:
« *Faciam vos fieri piscatores hominum* ».

Postquam tráditus est Ioánnes, venit Iesus ...

3. **Lc 5,** 1-11:
« *In verbo tuo laxabo retia* ».

In illo témpore: Cum turba urgéret Iesum ...

4. **Io 1,** 35-42:
« *Ecce Agnus Dei. Invenimus Messiam* ».

In illo témpore: Stabat Ioánnes et ex discípulis eius duo ...

5. **Io 1,** 45-51:
« *Ecce vere Israelita, in quo dolus non est* ».

In illo témpore: Invénit Philíppus Nathánael ...

INDEX

Caput III. De Ordinatione diaconorum

Caput IV. De Ordinatione diaconorum et de Ordinatione presbyterorum in una actione liturgica simul conferendis

Caput V. Textus in celebratione Ordinationum adhibendi

Appendix

HOC VOLUMEN
TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS
EXCUSUM EST
DIE TRIGESIMA PRIMA MAII MCMXC
IN VISITATIONE BEATAE MARIAE VIRGINIS

IMAGO INITIO VOLUMINIS POSITA
EX EDITIONE AD INSTAR ORIGINALIS DEPROMPTA LIBRI
« SACRAMENTARIUM EPISCOPI WARMUNDI »
PRIULI ET VERLUCCA EDITORIBUS